

J. M. 92.

13.2

1870

Dv 1652

Ex

Libri Joannis Thomae Bosh  
Medicinis Doctoris.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

- Medicin. Abt. -

DÜSSELDORF

V 1441

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, possibly a library stamp or archival record.]*

*[Faint rectangular stamp or impression, possibly a library or archival mark.]*



DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
PHARMACA  
REGNI VEGETABILIS

QUAM  
SUB GLORIOSISSIMIS AUSPICIIS  
AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM  
IMPERATRICIS  
MARIÆ THERESIÆ  
APOSTOLICÆ HUNGARIÆ, BOHEMIÆ  
HALLICIÆ AC LODOMERIÆ  
REGINÆ,

ARCHIDUCIS AUSTRIÆ &c. &c.

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE  
VINDOBONENSI PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOANNES JASKIEWICZ

LEOPOLITANUS

MENSE

ANNO

---

VINDOBONÆ,  
TYPIS IOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. REG. AVLÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXV.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind.

Red ink scribbles or markings along the left edge of the page.



AUGUSTISSIMÆ,  
GLORIOSISSIMÆ,  
ROMANORUM IMPERATRICI,  
M A R I Æ  
T H E R E S I Æ

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,  
CROATIÆ, SCLAVONIÆ, HALLICIÆ,  
ET LODOMERIÆ, BOSNIÆ, SERVIÆ,  
BULGARIÆ

REGINÆ APOSTOLICÆ,  
ARCHIDUCI AUSTRIÆ,


D U C I

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI,  
STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, MAN-  
TUÆ, PARMÆ, PLACENTIÆ, LIMBURGI,  
LUXEMBURGI, GELDRIÆ, QUASTAL-  
LÆ, DUCATUS AUSCHVICENSIS ET  
ZATOVIENSIS, WÜRTEMBER-  
GÆ, ET UTRIUSQUE  
SILESIÆ,

PRINCIPI  
SUEVIÆ, ET TRANSYLVANIÆ,  
MARCHIONI  
S. R. IMPERII, BURGOVIÆ, MORAVIÆ,  
SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,  
COMITI  
HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, NAMURTIÆ,  
FERRETIS, KIBURGÆ, GORITIÆ, GRADISCÆ,  
ARTESIÆ, ET SICULORUM,  
LANDGRAVIÆ  
ALSATIÆ,  
DOMINÆ  
MARCHIÆ SLAVONICÆ, PORTUS NAONIS,  
SALINARUM, MECHLINÆ, &c. &c.  
DOMINÆ, DOMINÆ  
CLEMENTISSIMÆ



AUGUSTISSIMA  
IMPERATRIX, REGINA!  
DOMINA, DOMINA  
CLEMENTISSIMA!

 Cum communis perfectaue Populo-  
rum felicitas, Scientiarum Ar-  
tiumque vigor & incrementum artiffi-  
simo quodam vinculo nexa videantur:  
tum profecto bina hæc in universis qua-  
late patent TUO INVICTISSIMA  
AUGUSTA Sceptro subiectis Regnis,  
tot tantaque illustria æternaque monu-  
menta totius Europæ oculis uno veluti  
obtutu conspiciunda præbent, Nomen-  
que TUUM seræ reddunt Posteritati  
celebrandum; ut in TE demum CLE-

\* 3

MEN-

*MENTISSIMA AUGUSTA Li-  
terarius Orbis Scientiarum Patronam  
Matremque se adinvenisse, gratulari  
omnino & possit, & debeat.*

*Neque vero hic in lucem protrahere  
gestio ea, quibus ad promovendam bo-  
narum Artium culturam sapientissime  
usa es molimina; hæc enim tanta sunt,  
ut prætereaquam tenues eloquentiæ meæ  
vires longe excedant, in bonorum om-  
nium ore continuo non sine grata animi  
recordatione versantur.*

*Si-*

*Silentio itaque prætereo profusos à  
TE tam benefica, tam liberali Manu  
Thesauros, ad exstruenda non in Prin-  
cipe modo hac Urbe, verum in aliis  
etiam remotissimis licet Imperio TUO  
subditis Provinciis, in utriusque Rei-  
publicæ emolumentum, Scientiarum Ar-  
tiumque Sacraria; donandis honorifica  
stipe harum Doctõribus, & Magistris;  
erigendis Bibliothecis instructissimis:  
ut nihil profecto deesse nobis videatur  
ad summum literariæ rei culmen adipi-*

scendum. Nihil dicam, quod de literaria  
Republica præclare meritos Viros su-  
premis honoribus titulisque, in exem-  
plum quod posteri imitentur, benignis-  
sime affeceris. Id unum commemorabo,  
quod sane ad incitandam in literarum  
studia Iuventutem non postremum est  
**CLEMENTISSIMA AUGUSTA**,  
eo scilicet Benignitatis **TE** devenisse,  
ut Musarum Alumnos sub Gloriosissimis  
Auspiciis **TUIS** in arenam literarian  
descendere, laborumque suorum primi-  
tias

tias *TUO AUGUSTISSIMO* in-  
signiri *NOMINE*, toties sis dignata.

Quare cum mihi quoque, post revin-  
dicata *Halliciae ac Lodomeriae Regna*  
felici subdito, rara hac felicitate hodie  
frui contigerit; si exigua hæc impen-  
sorum laborum specimina, quæ ad pe-  
des *MAJESTATIS TUÆ* depo-  
no, ea, qua semper soles, *Benignitate*  
*Clementiaque* respexeris, votorum meo-  
rum scopum abunde adtigisse mihi vi-  
debor: neque unquam *Immortale NU-*

\* 5

*MEN*

*MEN* *fusis precibus fatigare desistam,*  
*ut TE AUGUSTAMque FAMILI-*  
*AM & Incolumem, & Beatam, in subdi-*  
*torum felicitatem, Literarii Orbis com-*  
*mune bonum, quam diutissime conservet.*


SACRÆ CÆSAREÆ  
REGIÆ  
APOSTOLICÆ MAJESTATIS

FIDELISSIMUS SUBDITUS  
JOANNES JASKIEWICZ.

PRÆ-



## P R A E F A T I O.



**S**ensibus animalia externis provide sibi à natura acutioribus concessis gaudent, ut proficua discernant alimenta à noxiis; hæc evitent, illa appetant. Hominem rationalem Summo rerum **ARBITRO**, media inter discrimina ponere placuit, ut sic adigatur, non otiosum spectatorem, sed assiduum naturæ operum scrutatorem agere; atque in sui aliorumque commodum nova continuo detegat, Summique **NUMINIS** in his Sapientiam, Bonitatem, Providentiam adoret.

Tanta plantarum per Universum copia, diversitas tanta, analysium innumerabilium

P R Æ F A T I O.

instituendarum impossibilitas, institutarum insufficientia (\*) omnem spem ademissent, quidquam à priori de plantarum viribus pronuntiare posse; nisi indefessus Botanicorum Systematicorum labor, assidua classum naturalium investigatio (\*\*) plantarum sub his contentarum analogæ explorata virtus, tantum generi humano præstitissent commodi, ut non solum visis, odoratis, degustatis, & inde cognitis sibi nocituris, vel non nocituris Vegetabilibus, ab iis abstineant, aut hæc in usum trahant; sed etiam, quod mirum, in ipsis venenis cognitis, hinc maxima cum cautela à Magnis in Arte Viris exploratis, in suis calamitatibus deplorati mortales, exploratum levamen inveniant.

Præ-

(\*) Chomel. hist. plant. p. 37.

(\*\*) Classes naturales, aut potius ordinem naturalem dari multum dubium est, cum natura nihil per saltus, sed omnia successive, & absque omni hiato faciat; hiatus quos naturæ scrutatores ad quemlibet passum offendunt, limitibus strictis ingenii humani, & defectui cognitionis naturæ operum adscribant, necesse est.



P R Æ F A T I O.

Præceps hoc præposterumque de Venenis iudicium, eorum à medicamentis putatitium discrimen, quæ duo non nisi gradu virium inter se discrepant, & ab Antiquis ipsis sub eodem PHARMACI nomine complexa inveniuntur; quantum Medicinæ retardaverit progressum, abunde in Amœnitatibus Academicis (\*) *Immortalis LINNÆUS* demonstravit. Plurima Antiquis notissima, & cum successu olim adhibita, heroica medicamenta, Agyrtarum erroribus, dosi iusto majori exhibitæ, unde funesti emanarunt effectus, evulnerunt magno Medicinæ damno: hinc panicus ille Venenorum terror, ut ad nomen ipsum, vix jam non infectos sese credant, pusillanimes omnium Medicorum etiam occupans animos, insuperabiles fere obices, ad Venenatarum plantarum virtutes sedulo explorandas, posuit: quos cordati, de re publica, politica æque ac litteraria optime meriti Viri, quibus *ex meliori luto Titan præcordia finxit* disjecerunt

(\*) Dissert. de obstacul. Medic.

P R Æ F A T I O.

runt strenue, & scriptis, ac experimentis eousque rem perduxerunt, ut nunc quilibet jam Apollinæ artis cultor, Cicutas, Aconita, Atropas, Hyoscyama durissimaque alia venena, ad sublevandos proximos, optime convertere norit.

Liceat hic auctoritate verbisque Magnifici ac Celeberrimi Professoris de HAEN, (\*) ubi rem hanc universo erudito Orbi ob oculos posuit confirmare. “ No-  
,, xias, inquit, vocant plantas, venenatas  
,, vocant, lethiferas vocant, quæ quid  
,, propriæ sint, ne intelligant quidem.

,, Centenæ certe venenatæ sunt, &  
,, quia venenatæ, ideo salubres. Ita to-  
,, ta plantarum classis alvum, ventriculum,  
,, urinas moventium, venenata quidem,  
,, & inimica corpori & lethalis tandem  
,, fit assumpta, si fuerit copiosius, cog-  
,, ta autem debitis experimentis apta ea-  
,, rum dosi, salutifera esse hæc tota de-  
,, prenditur classis. Verum venenum  
,, est opium; justa autem dosi modera-  
,, tor

(\*) Ration. Med. part. IV. p. 246.




P R Æ F A T I O.

” tor dolorum est, turbarum paccator est,  
” stator est nimiae evacuationis. - - Dul-  
” co-amaræ sspites majori dosi convulsio-  
” nes, & deliria excitant; moderata  
” vero spasmus convulsionesque solvunt,  
” humores blande attenuant. Hinc in eam  
” sententiam facile adducimur, quod ve-  
” nena plurima ideo venena sunt, quia  
” nimia copia dantur, apta si dosi da-  
” rentur egregia futura sanitatis auxilia.“  
” Helleborus, Phelandrium, Cicuta, So-  
” lana varia, Belladonna, Hyoscyamus,  
” & id genus alia, noscuntur, interno  
” externoque usu, noxiae plantæ non esse,  
” ferrique si non interne omnes, externe  
” saltem posse. Hinc fore ut alia vene-  
” natae plantæ etiam salutare demum de-  
” prehendantur, spem merito faciunt.“  
Quod ipsum cum plurimis aliis magnis Vi-  
ris luce meridiana clarius effecit ILLU-  
STRIS. *noſter* PRÆSES L. B. à STÖRCK  
cum Aconita, Hyoscyamo, Conio, Cle-  
matitide, Colchio, Datura, Anemone &c.;  
Qui primus fere hisce temporibus fuit, qui  
gla-



P R Æ F A T I O

glaciem fregit, & cum dirissimis hisce venenis Suam sæpenumero publicæ incolarum salutis consecrando valetudinem, plurima Generi humano utilissima pericula fecit. Tantorum itaque Virorum auctoritati innixus, omnes has plantas in venenatarum numerum collocavi, quarum vires ejusmodi sunt observatæ, ut intra corpus assumptæ, illud ni ab alma natura, aut viribus propriis, aut aliunde adjuta, per quamcunque eliminantur viam, tardius ocyus mutant, & nonnullæ subitum sæpenumero interitum minentur.



PROEMIUM.



Venenum est corpus; quod interne assum-  
tum, aut quocunque modo corpori ani-  
malis viventis applicatum, illud conti-  
nuo plus minus qualitate sua destruit.

Omne igitur id, quod aut perimit, aut in-  
firmat, aut alterat corpus, veneni sub nomine  
venit; quare non illud tantum veneni nomen  
meretur, quod assumtum illico lethales in cor-  
pore humano producit effectus, aut quod ma-  
gna copia nocet (cum proficua etiam alimenta  
in hoc casu veneni naturam induant) sed omne  
id, quod odoratum, contrectatum, corpori  
applicatum, cum aëre adtractum, corpus anima-  
le ita afficit, ut continuo in destructionem ver-  
gat. „ Venenum enim, ait AVICENNA, (\*)  
„ est medicina, quæ corrumpit seu apta est

A

„ cor-

(\*) L. 2. Tract. 1. Cap. 4.

„ corrumpere temperamentum humanum, &  
 „ quanquam omne venenum suapte evertat &  
 „ corrumpat humanam naturam, differentia ta-  
 „ men est non exigua, quia aliqua quidem  
 „ nunquam interimunt, etiamsi habeant poten-  
 „ tiam interimendi, aliqua vero interimunt,  
 „ sed aut tardius aut citius.

Quomodo venena in corpus nostrum agant?  
 quomodo illud mutant? non tam facile concipi-  
 pere licet; quamvis enim omnia venena in de-  
 structionem tendant, tot diversis tamen id mo-  
 dis efficere videntur, quot fere venena sunt:  
 alia enim, ait MERCURIALIS, (\*) interimunt dis-  
 solvendo substantiam corporis humani; alia cor-  
 rodendo, putrefaciendo, calorem nativum  
 strangulando; & alia immodice evacuando; imo  
 certissima nos docent observata, venena quæ-  
 dam mirabili proprietate, nec ex cognita ha-  
 ctenus corporis fabrica facile explicanda, quas-  
 dam corporis partes tantum afficere.

Difficilius longe venenorum in mentem  
 vim suam exerentium modus agendi capietur;  
 nec prius, quam de ejus cum corpore commer-  
 cio certi quid statui poterit.

Antiquissima venenorum divisio, quam AVI-  
 CENNA, AVERROES reliquerunt, est, in ve-  
 nenum de Minera, de Vegetabilibus, de Ani-  
 malibus; quæ hucusque jure merito obtinet.

Ego

(\*) Lib. I. de Venenis Cap. 15. p. 17.

Ego venena Regni Vegetabilis tantum exponenda assumfi: tum quia animalia sæpenumero per accidens tantum venenata sunt, ut rabida; alia vero pro maxima parte, aut Europæ non indigena, aut adeo nota, ut quilibet fere sibi ab iis facile cavere queat; aut denique ipsis naturæ scrutatoribus necdum quo ad indolem penitus perspecta; tum quia Minerale Regnum omnia animali naturæ adversa habet; ut nihil in usum internum, præter pauca condimenta trahi ex hoc regno possit. Quæcunque enim sub terra generantur, perniciosam habent naturam. (\*)

In exponendis itaque Regni Vegetabilis venenis hunc servabo ordinem: ut collecta venena methodice prius, quoad fieri potest, ad Canones LINNÆANOS de virtutibus plantarum propositos reducam; tum singulis secundum sexuale systema dispositis, quidquid de his ex observationibus tam Veterum, quam Recentiorum colligere licuit, fideliter adungere adnitar.

In tam vastum itaque Naturæ vegetantis descensurus campum quædam præmittenda censei, antequam ad rem ipsam pertractandam me accingam.

Maximum, simplicissimum, saluberrimum Natura nobis ex Vegetabilibus suppeditat alimentum; non minus, ac exoptatum, efficax, salutare medicamen offert. Ita vero œconomia

A 2

mia

(\*) P. de Abbano de Remed. Ven. p. 4.

mia naturæ, sapientissime a SUMMO ejus AR-  
 BITRO constituta est, ut certa vegetabilia  
 certis tantum animalibus in escam cedant; ut  
 quod uni illorum salutare nutrimentum præbet,  
 alterum ut exitiale venenum afficiat, utque sic  
 quælibet fere animalium species alimentum sibi  
 proprium habeat, quod alterius speciei anima-  
 libus impune tangere non liceat; quod optime  
 jam perspexit fidelissimus ILLE Naturæ obser-  
 vator HIPPOCRATES, (\*) dum ait: „ Corpus  
 „ a corpore, natura a natura, alimentum ab  
 „ alimento differt. Neque enim omnibus ani-  
 „ mantium generibus eadem sunt commoda aut  
 „ incommoda, sed alia aliis conveniunt. „  
 Hinc unum quodque illorum eo gustus, &  
 odoratus sensu instructum est, qui huic fini  
 conveniat: sic equi adeo sibi exitiale Phel-  
 landrium adhuc viride fugiunt, odore & fa-  
 pore retenti; boves vero edunt idem sibi fa-  
 lubre Phellandrium, eodem allekti odore, &  
 sapore (\*\*). Imo tam varius est animalium ad-  
 petitus, ut nulla fere planta sit, quæ non ab  
 aliquo illorum eligatur, & ab alio intacta re-  
 linquatur. Equus cedit Phellandrium capræ,  
 vacca cicutam ovi, capra relinquit aconitum  
 equo: ea enim, quibus certa animalia pingue-  
 scunt, alia tanquam pestem, & venenum reji-  
 ciunt; sic Euphorbium homini maxime noxium,  
 Pha-

(\*) De flatib. cap. 2. Charter Tom. VI. p. 21

(\*\*) Iter. W. Goth. p. 6.



*Phalena Euphorbii* cibus est saluberrimus (a) Hyoscyamus, & Mandragora, præsentissima generi humano venena, fues & porcos nutriunt (b), quin imo animalia alias innocua, si venena hæc, a quibus non afficiuntur, in cibum ducant, adeo ea sibi in succum, & sanguinem convertunt, ut nobis venenata evadant. Turdi baccis Rhamni Cathartici pasti, affati licet, purgant autumnò (c), quorum stomachum quoque rejicere prodest, quia interdum Hyoscyami foliis, quibus delectatur avis, repletus invenitur (d). Cõturnices in Italia a seminibus Hellebori venenatæ fiunt (e), quæ cum non Helleboro solum, sed & Lolio temulento vescantur, qualitates inde noxias acquirunt, ut convulsiones, spasmos, palpitationes cordis post earum esum observarint Medici. (f) Lac à scammeo aut Tithymalo in capris purgans evadit, imo in nutricibus eandem indolem assumit a Gratiola. (g) Hinc colligitur, nullam

A 3 her-

(a) Amœn. Acad. dissert. de œconomia naturæ.

(b) Sextus Empiricus 1. Hypoth. Empiric.

(c) Amœnit. Acad. Dissert. de viribus plant.

(d) Ioan. Friderc. Zückert. Mat. aliment. p. 106.

(e) Amœn. Acad. ut supra.

(f) Joan. Frid. Zückert, ut supra p. 104. refert

Gall. Lib. 6. Epid. am. 5.

Aristotelis L. 9. hist. animal. cap. 8.

(g) Amœn. Acad. ut supra.

herbam absolute venenatam dici posse, sed tantum respective, & respective, non solum quod species diversas animalium adinet, sed etiam quoad ipsa individua respectu habito ad diversum illorum vivendi modum, idiosyncrasiam & similia.

Ad venenatas porro plantas a salutaribus distinguendas posuit Natura GUSTUM & OLFACTUM, quorum ope, ut vidimus inter noxia & salubria, sæpius tuta pabulantur ipsa pecora. Quantum vero sapor odorque non solum in arcendis corpori humano inimicis ingerendis corporibus, sed in appetendis quoque ei salubrius valeat, ad oculum monstrat, quod in febribus putridis, ubi non saporem solum, sed vel ipsum odorem assatæ carnis vehementissime horremus, acida, quæ gustui tunc arrident, avidissime expetamus. Chloroticis puellis, infantibus acido laborantibus, carbones, creta, argilla usta, verbo absorbentia optime sapiunt, & maxime profunt. Hinc est quod prudens Medicus, verus naturæ minister, particulari vehementique ægrorum suorum ad rem aliquam appetitui, dummodo morbo ipsi è diametro non opponatur, hunc ut salutare naturæ conamen considerans, libens assentiat; sicque sæpe ægros suos servat, ubi alter aut scrupulosus, aut nimis timidus, aut nullam rei hujus rationem habens, pertinaciter negando, salubri hoc levamine suos privat.

Licet

Licet vero quoad sensum acutiem a quibusdam animalibus longe superemur, ea tamen ratioçinii vi in distinguendis hinc prævertendis vel arripiendis nobis noxiis, aut salubribus a Creatore abunde concessa gaudemus, ut non solum ea, quæ immediate nos afficere possunt, sed mediatam quoque eorum noxam prævidere eamque arcere valeamus; imo ea, quæ alia animalia ut pestem & venenum fugiunt, quæque nobismet ipsis deleteria sunt, ad alios non minus utiles, quam proficuos usus applicare novimus: rei hujus argumenta nostris præcipue temporibus, ubi Naturæ studium per universum maximopere excolitur, plus quam superflua sunt. Ast quod maxime mirum quodque integrum humanum genus cum ipsis etiam posteris ad debitam gratitudinem accingit, est, magnos in arte Viros dirissima etiam venena ad sublevandos proximos debitis cum cautelis apta reddidisse, ut sic vel ex ipso mortis fonte optima mortales sanitatis hauriant auxilia.

Quantum itaque interest, dona hæc, quæ tam liberali manu nobis a natura subministrantur e propinguo mirari? ut eo securius ea a se invicem distinguamus.

Planta quælibet constat radice, caule, foliis, flore, fructu; planta itaque venenata vel ex integro venenata est, nulla ejus parte excepta, vel quo ad aliquas tantum partes, reliquis minus noxiis: ut nulla sit plantæ pars (vena-

nenatas intelligo), quæ in nonnullis plantis evidentiori veneno non præpolleat. Sic RADIX in Aconito, CAULIS & FOLIA in Cicuta, Tithymalo, Momordica Elaterium dicta, Papavere quorum succus expressus maxime venenatam indolem possidet; FLORES in Lobelia, Datura, Fritillaria; FRUCTUS BACCÆ Mandragoræ, Belladonæ, POMUM Colocynthidis, NUX Anacardii vomica, SEMINA Hyoscyami, Coccognidii, Hellebori &c. quoad deleteriam vim, omnibus fatis nota. Dantur vero ejusmodi etiam plantæ, quæ fructus sapidissimos, dum maturi sunt, nobis ferunt, licet arbores ipsæ, imo ipsimet immaturi fructus venenatæ sint indolis; sic ficus arbor succo lactescente noxioscatet, ipse fructus ante maturitatem, eodem corrosivo succo est infectus, qui maturus ob gratum saporem, a nullo non expetitur. Jatrophæ Manihot radix plantæ evidentissime venenatæ esculenta est. Ari radix succo orba diversarum regionum alimentum constituit. Sic etiam quoad succum letheo quidem perfusa papavera somno sunt, non quoad semina quippe quæ vesca.

Quot plantæ sunt, quæ odore tantum solo corpus alterant, mutant, infirmant, occidunt? quot quæ applicatæ, contrectatæ tantum, varia morbosa symptomata, imo ipsam etiam mortem adferunt. Nerii floris odor, intra conclave  
 incar-

incarceratus occidit sæpe dormientes. Juglandis, Sambuci &c. umbræ sæpe efficiunt ephemeram seu synochum. (a) Anagyris in Creta odore capitis gravedinem infert, incaute effossa Hellebori albi radix horrendum vomitum causat; Dracontii flos teterrimo omnium odore olfacientes attonitos & catalepticos reddit; (b) Fungorum quorundam odor fere lethalis. Si Atropæ Belladonæ folium oculo apponatur, iris tonum suum amittit, pupilla dilatatur, & quasi paralytica evadit. (c) Pulvis Nicotianæ ulceribus inspersus vomitus facit. (d) Colocynthis pomum manu quoad calecat inclusum ad alvi exonerationem nonnullos incitat. (e) Suppositum Opium quibusdam mortem adtulisse plurimorum auctorum testimonio comperimus. Ast non illæ tantum plantæ pro venenatis habendæ, quæ odoratæ corpori applicatæ, contrectatæ, ingestæ, diris illico symptomatibus in corpus nostrum sæviunt, sed eorum quoque ratio habenda, quæ sæpius in usum vocatæ lento quodam veneno corpus humanum sensim sensimque mutant ita, ut quotidie insensibiliter licet, semper tamen magis magisque

A 5

gitque

(a) Amœn. Acad. de Virib. plant.

(b) Hort. cliff.

(c) Boerhav. Razes.

(d) Amœn. Acad. de Odoribus plant.

(e) Ibidem de Viribus plant.

gisque a statu sano recedat. Quis enim solanum tuberosum, licet hodie per universam colatur Europam, & victui inserviat, ab omni venenata indole absolvet, quod eos, qui illo in America ad quotidianam escam fruuntur, cachecticos & scabiosos reddit. Quis Chærophyllyum bulbosum, cujus radices succulentæ cum novellis foliis in foro Viennensi venales prostant, & coctæ cum oleo, aceto & sale mensis apponuntur, ab omni veneni suspitione liberam pronuntiabit? cujus frequentem usum, non absque omni noxa esse, imo capitis gravedinem doloremque causæ in semetipso expertus testatur Clusius.

Sicuti enim, licet sextus Empiricus referat, (a) anum quendam fuisse, quæ tringinta drachmas Cicutæ sine ulla læsione sorbebat; & Galenus alteram fuisse scribat, (b) quæ nutriebatur Cicuta, de vi deleteria Cicutæ nemo dubitabit. Sicuti, licet laudatus sextus Empiricus (c) Lisdidis cujusdam meminerit, qui à quatuor opii drachmis non afficiebatur, opii venenatam indolem nemo in dubium vocabit; ita

(a) Sennertus Lib. 3. pag. 2. Sect. 2. Cap. 4. fol. 110.

(b) C. Bauh. prodr. pag. 90. Amœn. Acad. de Viribus plant.

(c) Hypothes. Empiric.

ita nemo non assentiet, dari quædam vegetabilia vera venena, quæ licet non omnes æque violenter, æque velociter, æque sensibilibiter aggrediantur, non modo pro suspectis habenda esse, venenis jure merito adnumeranda, (\*) sed a quolibet etiam, cui propria salus in pretio est, debita cum cautela, & in summa tantum annuæ penuria in usum alimentarem trahenda esse.

Maxima porro ratio habenda est diversarum anni tempestatum, vitæ, temporis colligendi, loci natalis plantarum, ut securi quid de earum salubri aut noxia virtute pronuciari possit; rei hujus veritatem dudum jam Theophrastus perspexit; (\*\*) dum ait: magnum discrimen esse in venenis colligendis, scilicet, quo unum quodque colligatur tempore; quia æstate collecta magis operantur quam vernali tempore.

Diversum vitæ tempus, quantum ad vires plantarum determinandas conferat, facile capiet is, qui juvenes Cichorii exempli causa radices cum adultis comparaverit, cui notum est novos turiones plurium venenatarum etiam plantarum in usum alimentarem cedere, uti de *Phytolacca decandra*, & de aliis etiam in decursu dissertationis patebit.

Locorum diversitatis considerationem ad hanc rem facere & supra laudatus Theophrastus monet,

(\*) Gal. Sympt. Med. Cap. 18.

(\*\*) Lib. 9. de hist. plant. Cap. 15.

monet, venena enim inquit in altissimis montibus crescunt eoque valentiora, quo ficcior loco nascuntur, & ipsa experientia sole clarius idem evincit: exemplo fit Hellebori nigri radix, quas in Helvetia validiores quam quæ in Gallia crescunt Geoffroi est expertus; tum in oriente cultas diversas quoque & validiores esse Tournefort testatur. Tetradyynamæ plantæ in aquis corrosivæ evadunt; umbellatæ aquaticæ venenatæ ut plurimum & e contra eadem in loco ficcior cultæ mirum quantum de acredine sua amittant. Sisarum vera Sii species, quæ in ficcis crescit, dulcissima est & esculenta; Apium dulce Zeleri Italarum, gratissimum in mensis, cum sponte crescit in paludosis acre nauseosum & venenatum, quod per culturam in loco ficciori dulcescit, ut esculentum evadat.

Justum in colligendo tempus servari debere cuilibet abunde compertum est; sic nisi primo vere Caryophyllatæ radix ( Geum Urbanum Lin.) antequam generosus latex folia trudendo aromaticam vim effuderit, eruatur, ne quidquam expetitam præstabit efficaciam; Rhabarbari radix nonnisi decennis ex natali solo in Armamentarium inferenda Pharmaceuticum; Hyperici flores prius quam se explicuerint legendi, quo balsamica indoles fervetur; Angelicæ radix nisi hyeme lecta effeta est; (\*) Colchici

(\*) Amœn. Acad. differt, de obstac. Medic.



chici autumnalis bulbus in autumnno dum folia emittit effodienda, si vires ejus integras concentrataeque desideras. Ex dictis itaque facile perspicitur quantum debitum colligendi plantarum tempus conferat, ut de earum viribus aliquid concludere valeamus, tum quam facile de una eademque planta, diversis collecta temporibus, diversa prædicari possunt, & debent: hinc dum de laudatis viribus plantæ alicujus judicium ferendum, quam sollicita temporis quo hæc lecta fuit ratio habenda sit.

Porro in plurimis plantis id etiam obtinet, ut vires has, quas recentes possident, frustra in exsiccatis quæras; Gratiola recens validissime purgat, & vomitus ciet, antiquata iners. Ireos nostratis vis diuretica, qua recens superbit, in sicca evanuit, quapropter in succo non inde-cocto quærenda. (a) Centena alia adnotari possent non minus utilia, quam curiosa, quæ sedula solersque Botanicorum observatio in communem usum detexit, si dissertationis limites paterentur. Quare ad Canonés illustrissimi a Linne de virtutibus plantarum propositos, ad quos omnia venena regni vegetabilis, quæ mihi colligere licuit, reducere pro viribus antisus sum, gressum facio. Ac

(\*) Amcen. Acad. loc. cit.

I<sup>mo</sup> NAUSEOSA, QUÆ INGESTA A NATURA RESPUUNTUR.

Veratrum, Helleborus, Convallaria, Asarum, Nicotiana, Cucumis, Colocynthis, Valeriana, Sambucus, Gratiola, Aloë, Cassia Senna, Rheum, Aphantia, Berberis, Bryonia, Iris, Globularia, Evonymus, Hedera, Herniaria, Ulmus, Convolvulus, Sefeli, Turbith, Viburnum, Cassine, Linum, Rumex, Colchicum, Guilandina, Catananche, Eupatorium, Arnica, Doronicum, Lobelia, Viola, Serapias latifolia, Jatropha, Ricinus, Momordica Elaterium, Mercurialis.

2<sup>do</sup> ACRES CORROSIVÆ SUNT.

Piper, Iris, Heliotropium, Cyclamen, Anagallis, Plumbago, Convolvulus, Hedera, Imperatoria, Thapsia, Viburnum, Drosera, Colchicum, Daphne, Passerina, Ruta, Chrysofplenium, Sedum acre, Agrostemma, Lychnis dioica, Anemone, Ranunculus, Raphanus Raphanistrum, Lobelia, Aristolochia, Arum, Croton, Jatropha, Ricinus, Bryonia, Tamus.

3<sup>tio</sup> GRAVEOLENTES MALÆ.

Cotula, Sambucus, Actæa, Aconitum, Helleborus, Veratrum, Asarum, Narcissus, Fritillaria, Gloriosa, Anagyris, Stapelia, Chenopodium, Solanum, Datūra, Nicotiana, Hyoscya-

scyamus, Gratiola, Cassia, Doronicum, Colocynthis, Coriandrum, Ruta, Buxus, Cynoglossum, Papaver, Juglans, Anthericum, Antirrhinum, Apium, Tagetes, Anethum, Dracontium, Lactuca virofa, — Scariola, Crocus, Conium, Crithmum, Paris, Dictamnus, Sedum, Sideritis, Scrophularia, Digitalis, Erigeron, Helianthus, Calendula, Cannabis.

4<sup>to</sup>. COLOR FLORIS LURIDUS ET ASPECTUS TOTIUS PLANTÆ TRISTIS, SUSPECTAS REDDIT PLANTAS.

Capficum, Solanum, Physalis, Hyoscyamus, Nicotiana, Atropa, Datura, Verbascum, Fritillaria, Rhus, Aconitum, Lycostonum, Digitalis; Baccæ nigræ in Atropa, Actæa, Coriaria, quæ venenatissimæ, minus venenatæ Empetri & Ribeos nigræ.

5<sup>to</sup> PLANTÆ IN AQUOSIS SÆPIUS CORROSIVÆ SUNT.

Ranunculus, Caltha, Calla, Arum, Nymphaea, Rumex aquaticus, Alisma Plantago aquatica, Polygonum Hydropiper, Aster Triposium, Pedicularis palustris,

6<sup>to</sup>. PENTANDRIA MANOGYNIA BACCIFERA MONOPETALA COMMUNITER VENENATA EST.

Cycla-

Cyclamen, Anagallis, Lonicera, Mirabilis, Verbascum, Datura, Nicotiana, Atropa, Hyoscyamus, Physalis, Solanum, Capsicum, Strychnos, Rhamnus.

7<sup>mo</sup>. UMBELLATÆ IN AQUOSIS VENENATÆ SUNT.

Sium, Phellandrium, Cicuta, Angelica, Apium, Oenanthe.

8<sup>vo</sup>. HEXANDRIÆ RADICES NAUSEOSI SAVORIS ET ODORIS VIROSI NOXIÆ SUNT,

Leucoidi, Narcissi, Pancratij, Amarillidis, Crini, Fritillarïæ, Gloriosæ, Scillæ, Asphodeli, Hyacinthi, Alöes, Allii, Asparagi.

9<sup>no</sup> POLYANDRIA PLERUMQUE VENENATA EST.

Actæa, Chelidonium, Papaver, Argemone, Cambogia, Nymphæa, Pæonia, Delphinium, Aconitum, Aquilegia, Nigella, Anemone, Clematis, Thalictrum, Adonis, Ranunculus, Helleborus, Caltha.

10<sup>mo</sup> LACTESCENTES COMMUNITER VENENATÆ SUNT.

Euphorbia, Rhus, Papaver, Chelidonium, Sanguinaria, Bocconia, Cambogia, Cerebra, Rauwolfia, Plumeria, Asclepias, Periploca,

ploca, Cynanchum, Apocynum, Nerium, Excœcaria, Agallochum, Anacardium, Curcuma Hypecoum, Oenanthe, Rumex, Phytolacca, Hypomane, Myrica.

II<sup>mo</sup> PLANTÆ, QUARUM FLORES NECTARIIS A PETALIS SEPARATIS GAUDENT, COMMUNITER VENENATÆ SUNT.

Nigellâ Aquilegia, Delphinium, Aconitum, Apocinum, Stapelia, Asclepias, Narcissus, Hypecoum, Impatiens, Monotropa, Parnassia, Helleborus, Kalmia, Pinguicula.

12<sup>mo</sup>. AMARÆ, ALCALINÆ, SUNT STOMACHICÆ, ANTIVENERÆ, ET SÆPIUS SUSPECTÆ.

Humulus, Arthemisia, Alœ, Centaurea Benedicta, Santolina, Tanacetum, Matricaria, Cinchona, Cuscuta, Chærophyllum, Aesculus, Saponaria, Silene, Carthamus, Inula, Achillea.

13<sup>tio</sup>. EX CLASSE NATURALI GRAMINUM.

Cynofurus Echinatus, Bromus secalinus, Lolium perenne, — temulentum.

14<sup>to</sup>. EX CLASSE NATURALI COLUMNIFERARUM, QUÆ OMNES FERÉ PLUS MINUS

B

NUS

NUS EMOLLIENTES PLANTAS SUB SE CON-  
TINET, UNICA SUSPECTA INVENITUR,  
Hibiscus Sabdariffa.

15<sup>to</sup> EX CLASSE NATURALI PAPILIO-  
NACEARUM SEQUENTES.

Fumaria, Polygala, Abrus, Spartium, Ge-  
nista, Ononis, Lupinus, Cytifus, Colutea Co-  
ronilla, Pforalea.





MONANDRIA  
MONOGYNIA.

**CURCUMA LONGA:** foliis lanceolatis;  
nervis lateralibus numerosissimis. *d*  
*Linné Syst. edit. XIII.*

**CURCUMÆ** radix in officinis prostat, luteo tinctoria; odoris balsamici, parum aromatici, ingrati; saporis amariusculi, acris; Indis in escam cedere solet; viribus solventibus, pel-  
lentibus, emenagogis pollet. LINNÆUS. Eas-  
dem quoque vires illi adtribuit DALE.

DIANDRIA  
MONOGYNIA.

**GRATIOLA OFFICINALIS:** floribus pe-  
dunculatis; foliis lanceolatis, ferratis. *Oed.*  
*dan.*

## 20 DIANDRIA MONOGYNIA.

Amara planta & nauseosa est licet eximiarum virium caute adhibita: purgans, vomitoria, emenagoga, anthelmintica. LINN. DALE.

Herba et radix nunc in officinis asservantur; olim maximus herbæ tantum usus, ut ex *Aman acad t. 7. p. 307.* constat. Herba in Pharmacopoliis ubivis prostant, in extracto, decocto atque substantia adhibetur, et quidem nostro potissimum tempore in enematibus, sero lactis incocta. Differt autem herbæ exsiccatae vis nimium à virente, viridis enim vehementissima est, & fere vomitoria, in infuso ad manipulum semis propinata; recens siccata à drach. β ad drach. unam, in substantia æqualiter agit; forma vero decocti aquosi, vinosi, vel potius feri lactis à drach. jβ ad drach. ij exhibetur: at antiqua vim fere omnem exiit, unde multis, de virtute ejus purgandi, subnatum est dubium: extracti vero drach. β. ex herba recente promptissime agit.

In Dyfenteria cum Ipecacuanha pari passu ambulat.

Plura qui de hac planta desiderat, consulenda ei omnino erit Dissertatio Inauguralis Medica nuper à Doctissimo Domino KOTSRZEWSKI MED. DOCT. sub auspiciis ILLUSTRISS. L. B. à STÖRCK, edita: ubi plura nova, Viri hujus Illustrissimi jussu in variis Nosocomiis Viennæ cum hac planta instituta experimenta inveniet.

PIN-



DIANDRIA MONOGYNIA. 21

PINGVICULA VULGARIS: nectario cylindraceo, longitudine petali. *Oed. dan.* 93.

Planta quæ ab ovibus non attingitur quæve iis ex observatione, ac experimentis Anglorum deleteria est, ab antiquis Medicis ut medicamentum purgans in Obstructionibus intestinorum, et in aliis Morbis varia sub forma exhibebatur. Si decocto plantæ hujus caput lavetur, capilli crescere creduntur, et succus expressus, contra pediculos hominum, et animalium laudatur. *Onom. Botan.*

Syrupus plantæ purgat pituitam sat strenue. *DALE.*

In officinis passim herba asservatur.

SALVIA HORMINUM: foliis obtusis, crenatis; bracteis summis sterilibus; majoribus coloratis.

In officinis semen hujus plantæ occurrit, quod vim habet nervos excitandi, homines inebriandi *Boerh. hist. plant.* *DALE.*

SALVIA VERTICILLATA: foliis cordatis, crenato-dentatis; verticillis subnudis; stylo corollæ labio inferiori incumbente. *Jacq. enum.*

Viribus majoribus pollet quam prima. Semen officinæ asservant. *DALE.*

SALVIA SCLAREA: foliis rugosis, cordatis, oblongis, villosis, ferratis; bracteis coloratis, calyce longioribus, concavis, acuminatis.

In officinis folia asservantur; hæc calefaciunt, siccant, abstergunt, attenuant. DALE.

Succus haustus, reddit homines temulentos. *Boerh. hist. plant.*

## TRIGYNIA.

**P**IPER NIGRUM: foliis ovatis, subseptem nerviis, glabris; petiolis simplicissimis.

Baccæ hujus plantæ figura, & magnitudine parvum pisum perfecte referunt; odoris fortis, aromatici, & fervidi saporis; primo virides, tum rubræ, maturæ vero soli per aliquot tempus expositæ, nigricantem, vel & perfecte nigrum colorem induunt. Baccæ hæ immutata sub nomine Piperis nigri; diurna vero maceratione aliisque adhibitis artificiis extimo suo rugoso cortice orbata, sub nomine Piperis albi in aromataris & Pharmaceuticis officinis notæ. *Onomat. Botan.*

Acres, fervidæ, stimulantæ, stomachicæ, singultuosæ, sternutatoriæ, aphrodisiacæ, & exanthematicæ hæ baccæ, aroma commune constituunt, & in casibus, ubi similes effectus in corpore excitandi sunt, in usum quoque medicum non incongrue trahuntur. LINNÆUS in Tertiana, Odontalgia, Procidentia, & contra pediculos valere affirmat.

TRI-

TRIANDRIA

MONOGYNIA.

**V**ALERIANA OFFICINALIS: floribus triandris; foliis omnibus pinnatis. *Oed. dan.* 510.

Planta narcotica, antispasmodica, fudorifera, diuretica, purgans est à LINNE. Narcotici aliquid cum aromate penetrante Celebr. DE CRANTZ adnotat. SPIELMANNUS refert, FABIIUM COLUMNAM virtutem hujus radicis antepilepticam in se ipso, et multis aliis expertam celebrare: eandem propriis observationibus confirmasse MARCHANT, CRUGER, LENTILIUM, SCHUCHMANNUM, SAUVAGES, SCOPOLI, ILLUSTRIS. L. B. à STÖRCK, TISSOTUM, HALLERUM. Qui ultimus eandem iis, quorum nervi nimis sensiles sunt quoque utilem esse vidit. ILLUSTRIS. L. B. à STÖRCK eam egregie ad fugandos vermes facere observavit. Ejusdem intus sumptæ vires oculos roborantes TABERNÆMONTANUS & STANTKE probant: huc usque SPIELMANNUS. A LINNE *Amæn. Acad. t. 7. p. 303.* asserit: drachmas duas radicis hujus in cerevisia secundaria, aut vino à plebe Angermanniæ decoqui, dum *ἀνω καὶ κάτω* purgare dicitur, quod sane indicat nimiam hic dosim propinari.

24 TRIANDRIA MONOGYNIA.

Radix hujus sub radicis Valerianæ minoris nomine in officinis asservatur.

VALERIANA PHU: floribus triandris; foliis caulinis pinnatis; radicalibus indivisis.

Qualitas, & vis antecedentis. In officinis PHU audit, habeturque Valerianæ majoris radix, & herba.

VALERIANA CELTICA: floribus triandris; foliis ovato-oblongis, obtusis, integerrimis. *Jacq. Vind.* 203. Folia 2. caulina linearia, obtusa. Flores verticillati.

Planta acris, aromatica, fragrans. Vim diureticam, & anthelminticam possidet. LINNÆ.

Officinæ plantæ hujus flores, & radices asservant.

*Galenus* inde urinam moveri, & Fluxiones viscerum medelam recipere asserit.

Hodie vix intus datur, nisi interdum ad balnea adhibetur. SPIELMANNUS: ubi HASSELQUISTIUM quoque referentem adducit, apud populos interioris Africae, & Abyssiniae, qui inde unguentum cosmeticum parant, adeo magnum Spicæ Celticæ usum esse, ut quot annis pro pretio 6000. thalerorum ex Germania per Venetias in Aegyptum mittatur.

TAMARINDUS INDICA. *Jacq. amer.* IO. 2. IO.

„ Ufu compertum est, *inquit* CHRIST. A  
„ COSTA, *Lib. aromat.* „ arboris hujus um-  
„ bram

„ bram sub eâ dormientibus non minus noxiam  
 „ esse quam arboris Juglandis. „

Huic authoritati innixus arborem hanc venenatis adnumeravi plantis : hujus fructus in officinis usu venit, inter egregia purgantia ecoprotica, et ob sal essentielle acidum quo maxime abundat, putredini restitit.

**CROCUS SATIVUS**: spatha univalvi, radicali; corolla tubo longissimo.

Anodinam, exhilarantem, soporiferam, de-  
 mentantem, pellentem, emenagogam in suo  
 stigmate vim planta possidet. à LINNÉ.

Immoderatus ejus odor caput gravat, mentem turbat, sardonius, apoplecticus, lethalis est. GALENO, FABRO, LINNÆO, BORELLO testantibus: internus Croci usus iisdem conditionibus idem: minori dosi exhilarans, majori sensus omnes sopiens, non aliter ac Vinum, & Opium. Cel. de CRANTZ. ZÜCKERT. *Mat. aliment.* p. 196. ait. „ Crocus largiori assum-  
 „ tus quantitate, soporiferus est, narcoticus,  
 „ exæstuans, amentiam produciens, risum in-  
 „ congruum, atque exorbitantes hæmorrhagias  
 „ excitat. „

Vim ejus antispasmodicam omnis ætas confirmavit.

In nonnullis regionibus Crocus communissimum est aroma. Ob elegantem vero colorem; in arte tinctoria, & pictoria usu venit.

•6 TRIANDRIA MONOGYNIA.

**IRIS FLORENTINA**: corollis barbatis; caule foliis altiore, sub bifloro; floribus sessilibus.

Expectorans, errhina, becchica, ecoprotica radix. LINN. DALE.

Hæc radix in officinis asservatur pollicem crassâ, paulisper compressâ, hinc inde tuberculis notata, intus flavescens, extus alba, saporis acris, leviter amaricans, odoris ad violas accedentis.

*Recentis* succus evidentem acrimoniam habet, hinc ad alvum ducendam post **DIOSCORIDEM** a multis Medicis adhibita fuit, atque medicamentis hydragogis adscripta. Exsiccata mitior evadit.

**IRIS GERMANICA**: corollis barbatis; caule foliis altiore, multifloro; floribus inferioribus pedunculatis.

Viribus diureticis, hydragogis, emenagogis, errhinis pollet. LINN. DALE.

Radicem acrem, quandoque ventriculum subvertere, alvum quandoque ducere, & absque his effectibus urinam movere, asserit Cel. de **CRANTZ**. Succus radicis expressus ad aquas hydropicorum educendas præcipue inserviebat, & ipsa radix **LINNÆO** in hoc casu specifica habetur. Flores macerati, & jam semi corrupti, cum Calce tractati, dant pulchre viridem colorem. *Onomat. Botan.*

In officinis Ireos nostratis radix prostat.

**IRIS**

TRIANDRIA MONOGYNIA. 27

IRIS PSEUDO-ACORUS: corollis imberbibus; petalis interioribus stigmatibus minoribus; foliis ensiformibus. *Oed. dan.* 494.

Radix quæ in officinis usuvenit, calefacit, exsiccat, attenuat. DALE.

Radicis hujus succum scopo hydragogo purgante recentiores adhibuerunt, nunc non est in usu ad purgandum, quia ut recte FALLOPIUS monet, meliora prostant medicamenta purgantia. WOLFF. *Act. Med. Berol.* RAMSEI, PLATER, observationes curatæ inde Hydropis adducunt; ETHMILLERUS lumbricos inde dejectos vidit; teste SPIELMANNO.

Radix hinc inde falso pro radice Calami aromatici substituta fuit.

Flores acrimonia quoque pollent; inferviunt ad colorem pulchre flavum parandum, uti radix cum Vitriolo Ferri nigrum constituit colorem. *Onomat. Botan.*

IRIS TUBEROSA: corollis imberbibus; foliis tetragonis.

Radices quæ in officinis prostant dulcescentis saporis, debile acrimoniæ vestigium post se relinquunt: coquendo in integrum fere solvuntur, & decoctum adeo mucilaginosum reddunt, ut meram mucilaginem crederes, difficillime nisi premendo per colatorium trajiciendam. Quod vim nostrarum radicum attinet, SPIELMANNUS nullam fidam observationem proflare ait, radices has alvum ducere; imo

ALPI-

ALPINUS testatur: Mulieres plures eas radices in modum Castanearum ut pingues evadant comedere, sine ulla alvi perturbatione. *Cel. de CRANTZ* recentes bulbos, & vomitum, & alvum movere, adultiores magis alterantes esse, asserit; nec dubium recentes radices evidentioribus pollere viribus, quas antiquæ per modicam acrimoniam, quam degustatæ post se relinquunt, illis olim infuisse denotant. An vero radices hæ sint Iridis tuberosæ bulbi, vel Colchici variegati, LINNÆUS, SPIELMANNUS alii- que in dubio relinquunt. Imo SPIELMANNUS radices has ab Antiquorum radicibus, quæ sub nomine Hermodactilorum veniebant, differre ait: cum ipsa vox qua Veteres suas radices denominarunt, eas oblongas fuisse denotet; nam Hermodactili mercurii digitos ex græca significatione designant, nostræ autem radices rotundæ ut SPIELMANNUS, vel potius cordiformes, compressæ sunt.

## DIGYNIA.

CYNOSURUS ECHINATUS: bracteis pin- nato-paleaceis, aristatis. Racemus glomera- tus, secundus. Bracteæ ad flores tantum ex- terius, alternatim pinnatæ, unifloræ; radiis in aristam desinentibus. Calyx bivalvis, biflorus, membranaceus, apice valde adtenuatus. Co- rolla



rolla bivalvis, apice exteriore Arista recta, stylus bifidus.

Celebris quatuor diversis dissertationibus, planta, plura circa hanc experimenta variasque observationes continentibus. Mediolani in LOMBARDIA AUSTRIACA, jussu & impensis AUGUSTISSIMÆ nostræ editis. Cum in correctionis domo plures consueto ægri observati fuere, ægritudinisque causa redundavit in panem ex granis plantæ hujus cum Secale commixtis confectum, MATERNA MARIÆ THERESIÆ PIETAS vel ad minima subditorum suorum incommoda sensibilissima, ægrorum miseris commota fuere, ac illico omni ex parte rei hujus seriatimque inquisitio decreta. Quid vero de planta hac per experimenta, tam diversis modis instituta conclusum, ex corollariis fundamento experimentorum innixis in *Dissertatione Epistolari* JOANNIS AMBROSII SANGIORGIO *Pharmacopæi Mediolanensis*, VIRI in re Chemica, & Botanica versatissimi, lingua vernacula conscripta patebit. Vim nocivam glumæ, & externo granorum cortici præcipue inesse; licet ex integro compertum non sit ipsam medullarem granorum substantiam ab omni suspitione liberam: id certissimum, eam tenacem, digestionem difficilem, nutritionem ineptam esse.

**BROMUS SECALINUS:** panicula patente; spiculis ovatis; aristis rectis, semi distinctis. *Jacq. Vind.*

**BROMI** species non nocent, neque hæc ullum damnum infert, si minori quantitati frumento sit admixta; quod si semina largiori copia farinæ admisceantur, narcoticam vim exerunt, & nigricantem reddunt panem, cujus massa post subtractionem difficulter turgescere, & multo egere fermento dicitur *ZUCKERT: Materia aliment.* Idem de **BROMO** arvensi laudatus *Auctor* intelligere vult.

**LOLIUM PERENNE:** spica mutica; spiculis compressis, multifloris. *Jacq. Vind.*

Herba olim in officinis exstiterat; cui vim siccantem, adstringentem, alvum mensesque fistentem, urinam infrenantem, **DALE** attribuit.

**LOLIUM TEMULENTUM:** spica aristata; spiculis aristatis, compressis, multifloris. *Oed. dan. 160. Jacq. Vind.*

Planta hominibus æque ac animalibus venenata, ut equi, canes, fues, anseres, gallinæ, temulentæ, somnolentæ a granis plantæ hujus, sive crudis, sive alio modo præparatis, comestis, visæ sint. *GALENUS Libr. 6. simpl. & lib. 1. de aliment. facult.* Somnolentiam, Temulentiam, Vertiginem, & Amentiam a Lolio memorat: Idem ab hac causa Ulcerum  
quo-

quoque meminit. CAMERARIUS Somnum, Temulentiam, Vertiginem etiam observavit. à LINNÉ *Amæn. Acad. 6. p. 185.* A Lolio Hordeo pro cerevisia conficienda immixto potatores scotomos, stultos, & temulentos reddi affirmat. Nonnulli ad spiritum frumenti conficiendum Lolium quoque addunt, in proportione ad reliqua adhibita, ut 8. ad 20.: tali modo reddunt spiritum magis inebriantem, sed & magis nocivum. ZIICKERT in *Mat. aliment.* ait. „ Planta summe capiti & nervis in-  
 „ festa, temulentiam producit, anxietates præ-  
 „ cordiales, plenarium virium lapsum, faciei  
 „ ruborem, splendorem oculorum, cæcitatem,  
 „ spasmos, frigus extremorum „ Multos funestos plantæ hujus effectus, recensent *Satyræ Medicorum Silesiacorum Acta Acad. N. C. & commercium literarium Norinbergense.*

SEEGER *Dissertatio de Lolio temulento. Tubing. 1770.* ubi plura experimenta, & observationes circa hanc plantam institutæ. GUERIN *Dissert. de Vegetab. venenat. Alsatia. pag. 59. & sequent.* & Cl. GMELIN *Dissertatio de venenis*, ab eo qui plura de hac planta desiderat, consulenda est. Ad usus Medicos planta ab Antiquis adhibita fuit: externe grana in pulvem cocta, cataplasmatibus sub forma, vel aliis additis in emplastrum reducta, in ischiadicis, podagricis, pleuriticis doloribus applicabantur, quæ methodus nunc jure evuluit.

In

In usum alimentarem in annonæ penuria, certis cum cautelis semina duci quoque possunt; hoc est, farina seminum, cum farinis aliorum cerealium mixta, ad panem conficiendum absque sensibili sanitatis detrimento adhiberi valet: scilicet libero aeri grana exponendo, leniter eadem torrendo, adjiciendo farinæ alterius cerealis in majori proportione, coquendo cum aqua, & spumam frequenter abjiciendo, si non ex integro, pro majori saltem parte, innocua grana hæc illorumque farina evadet. Alii condimentorum additionem suadent, ut Cumini, Salis communis &c. Nonnulli pinguis consulunt, ut butyrum, lac, lardum, & similia.

Eadem grana similibus adhibitis cautelis BAUHINO affirmante, in columbarum, gallinarum, & ut nonnulli volunt, suum etiam alimentum cedere possunt; imo in annonæ caritate, in pane inde confecto, vim ejus perire à LINNÉ referente *Cel. de CRANTZ* testatur. *Idem Cla. GMELIN* affirmat, sed simul notat panem hunc non calidum sed refrigeratum comedendum esse, si dementantes lolii vires effugere animus est. Plura de his in *Onomat. Botan. Dissert. Cl. GMELIN* videri possunt: ubi insimul adnotatur, quantam operam Agricola adhibere debeat, ad grana sua ab his separanda; quæ adeo fructifera sunt, ut trium etiam annorum spatio sub terra delitescentia propululent fructusque producant; quam sollicitè grana

na

na feminationi destinata, ab his liberanda, cum cineribus clavellatis, vel saponariorum lixivio permiscenda; quam laboriose hunc in finem coléndi agri, & pro re nata, Marga, aut Terra Calcarea addita corrigendi sunt.

Atque hæc fere tantum est, in toto graminum naturali ordine, venenata planta, quod maxima sapientissimi Numinis providentia factum est, ut plantarum, quæ humano generi in quotidianum alimentum cedere debent, paucissimæ sint, quæ noxias qualitates possideant. Nihilominus tamen variis vitiis cerealium grana subjacent sicque affecta sanitatem hominum, & animalium afficiunt; sic vitiata Avena venenum est, Temulentiam, & Amentiam inferens: *Cel. de CRANTZ.* Huc spectat ustilago Secalis, unde convulsio illa cerealis, quæ magnam certis annis exercet tyrannidem, ortum suum ducit: ustilago hæc, ut per experimenta *Illustriff. L. B. Ottonis de MÜNCKHAUSEN* ad oculum patet, nihil aliud est quam ova, unde animalcula polyposa excluduntur: his maxime inimicum idem *Illustriff. OBSERVATOR*, Salem muriaticum invenit; quare grana cerealija, antequam terræ committantur, cum lixivio Calcis, & Salis communis tractare, propria experientia edoctus suadet. Plura de his videri possunt. *Amæn. Acad. t. 6. dissert. de Mundo invisibili*, ubi *Illustriff. à LINNE*, ut sibi ab *Illustriff. AUCTORE* communicata habet, repetitis

34 TETRANDRIA MONOGYNIA.

experimentis de veritate rei convictus, exponit.

Similia plantarum vitia, cum accidentalia sint, nec ipsi eorum substantiæ adscribi valeant, hujus loci recensere non est, hinc ea leviter tantum attigisse sufficiat.

TETRANDRIA  
MONOGYNIA.

**G**LOBULARIA ALYPUM: caule fruticoso; foliis lanceolatis, tridentatis integrisque.

Herba violenter purgat, quæ in officinis quoque passim asservatur, & scopo purgante, dimidia foliorum Sennæ dosi, exhiberi potest. *Onom. Botan.* Decoctum, Lue venerea adfectis, magno cum successu propinari refert CLUSIUS, teste DALE.

DIGYNIA.

**C**USCUTA EUROPÆA: floribus sessilibus. *Oed. Dan. 199. Jacq. Vind.*

Planta amaricans, inodora, vim laxantem habet à LINNÆ. Hæc vis a Veteribus illi adscripta negligitur a Recentioribus, cum certiora purgantia prosunt.

In officinis sub Epithymi nomine herba habetur.

HY-

TETRANDRIA DIGYNIA. 35

HYPECOUM PROCUMBENS: siliquis arcuatis, compressis, articulatis.

Natura plantæ est cum Papaveris succo eadem Diosc. Ejus succum instar Opii somnum inducere D. HERM. DALE. In nectario contenta materies ab apibus colligitur. *Onom. Botan.*

Herba, & succus officinalis passim est.

HYPECOUM PENDULUM: siliquis cernuis, teretibus, cylindricis.

Herba quæ passim officinalis quoque est, iisdem cum præcedenti viribus gaudet. DALE.

PENTANDRIA

MONOGYNIA.

**H**ELIOTROPIUM EUROPÆUM: foliis ovatis, integerrimis, tomentosis, rugosis; spicis conjugatis.

Herba & semina in officinis asservantur. Decoctum pituitam bilemque per alvum extrahit; semen carnis excrescentias reprimit, Verucas pensiles tollit, Menses, & Fœtus educit. DALE. In Tumoribus scrophulosis, in morfu scorpionum antiquis quoque laudatur. Nunc recenter in Polypis narium efficax observata. *Onom. Botan.*

HELIOTROPIUM SUPINUM: foliis ovatis, integerrimis, tomentosis; plicatis; spicis solitariis. *Gou. Monsp. 17. c. figura.*

36 PENTANDRIA MONOGYNIA.

Cum priore viribus convenit: DALE. Herba in nonnullis Regionibus officinalis est.

CYNOGLOSSUM OFFICINALE: flaminibus corolla brevioribus; foliis lato-lanceolatis, tomentosis, sessilibus. *Jacq. Vind.*

Radix, & herba officinas Pharmaceuticas intrant. Planta graveolens, ab ovibus intacta relinquitur. Radix, si primo vere, antequam folia explicentur, effodiatur recens præcipue in suo succo, vim anodynam possidet: *Onom. Botan. A' LINNÉ* vires subnarcoticas, phtiriacas adscribit. Vires has, ut & odorem exsiccata perdit. Odor pediculos fugare creditur.

ANDROSACE MAXIMA: perianthiis fructuum maximis.

Herba, quæ in officinis quoque passim invenitur, Hydropicis urinam ciet in vino pota. DALE.

CYCLAMEN EUROPÆUM: corolla retroflexa. *Jacq. Vind.*

Bulbus, seu radix, quæ in officinas recipitur, mucilaginosus, tum acris, fervida est. Afata esculenta evadit. à LINNÉ.

Purgans, drastica, emenagoga, externe resolvens, anthelmintica. *Idem.* Hæc, ob qualitatem acrem, fervidam, damnatur: *Cel. de CRANTZ.* HIPPOCRATES, & GALENUS, Cyclamen tam externe, quam interne, scopo resolvendi exhibuerunt: radix hæc a variis autoribus



ribus catharticis adnumeratur; quod quidem de recenti, vix de exsiccata valet. SPIELMANN.

In autumnno effossa maximas possidet vires, quam potenter incidere, aperire, abstergere, errhinam esse, hinc caute exhibendam, monet DALE. Et P. DE ABBANO habet *Lib. de Venenis atque eorundem commodis remediis. Anno 1487.*

„ Ille cui datur succus aut radix buthormanien,  
 „ patietur strangulationem & quasi suffocatio-  
 „ nem, propter quod vocatur panis porcorum.

Incertum medicamentum non amplius adhibetur.

ANAGALLIS ARVENSIS: foliis indivisis; caule procumbente. *Oed. Dan. 83. Jacq. Vind.*

Acris, inodora herba. In Mania, Hydrophobia maximarum virium esse creditur à LINNÉ. *Onom. Botan.* Resolvendi ergo, jam a GALENO laudatur; hinc fœminæ Westphalæ illam ad pellendos menses adhibent, teste HOFFMANNO; SPIELMANNUS: ubi plura.

PLUMBAGO EUROPEA: foliis amplexicaulibus, lanceolatis, scabris. *Calyx extus tuberculis baseos quinque præter glandulas periolatas.*

Planta acris, septica, caustica. LINNÉ, DALE.

In officinis Dentariæ radix à LINNÉ, herba. DALE.

CONVOLVULUS ARVENSIS: foliis sagittatis, utrinque acutis; pedunculis unifloris.

Herba officinalis erat apud Veteres: ejus succus potus dejecit alvum DIOSCOR. DALE. Alii vulnerariam, anodynam herbam crediderunt. *Onom. Botan.*

CONVOLVULUS SEPIUM: foliis sagittatis, postice truncatis; pedunculis tetragonis, unifloris.

Convolvulus hic Scammoneo adeo forma convenit, ut vix ab eo distinguatur, nisi per bracteas calycis: & Mechaocannam adeo exasse refert, ut non nisi foliis, quibus gaudet, magis hastatis, & caule magis angulari differat. *Amœn. Acad. 7. p. 302.*

Radix & aqua destillata in officinis Hallensibus asservantur. Radix expurgat humores acres, biliosos, & serofos; ob quam vim cathartica, Scammonium germanicum ab HOFFMANNO appellatur. Eandem ut benigne evacuantem PREVOTIUS quoque in Medicina pauperum commendat. Radix hæc, quam avide comedunt sues, succo lactescente scatet, qui fauciatâ radice effluit; inspissatus, cum inspissato succo plantæ subsequenti, easdem, vel paulo mitiores vires possidere solet. Herba pro cataplasmatibus scopo discutienti, anodyno adhibetur. *Onom. Botan.*

CON-

CONVOLVULUS SCAMMONIA: foliis sagittatis, postice truncatis; pedunculis teretibus, subtrifloris.

Integra planta succo lacteo, acri scatet.

Radix officinalis acri-amaricans, nauseosa, gummoso-resinosa, purgat: á LINNÉ. Succus ejus concretus valide humores biliosos, acres, serosos educit; sanguinem solvit; exiguis etiam dosibus venenatus. *Cel. de CRANTZ.*

Succus hic concretus sincerus esse creditur, si nitidus, splendens, cito liquefcens, friabilis, colore dum frangitur cinereo, non valde ponderosus, tactu linguæ lactescens, nec vehementer calefaciens, in aqua cito solubilis, quam lactescere cum virore facit. DALE, á LINNÉ, *de CRANTZ.*

Scammonium est succus concretus, qui in majoribus massis ad nos adducitur ex gryzeo nigricans, in pulverem reducendus, odoris valde nauseosi, & saporis evidenter acris. SPIELMANNUS qui duo ejus genera vulgo proflare ait, quæ pretio multum differunt, ALEPENSE nimirum, & SMYRNEUM; illud quod levius, & magis gryzeum est, ab hoc ponderosiore, & multis striis nigris, latis, splendentibus distincto differt: prostat etiam interdum Antiocheum totum nigricans, multis foraminibus quasi exesum, evidenter quasi empyreuma redolens.

## 40 PENTANDRIA MONOGYNIA.

Alpenſe paratur ad Marafch, itinere quatuor dierum ab Alepo diftans, teſte HASELQUIST. SCHERARD autem fidem facit, id quod a Smyrna denominatur, ex Galatia, & Cappadocia eo adferri. *Autopta* RUSSEL, quod hodie adhuc eadem, ac DIOSCORIDES enarrat, ratione colligatur, refert. Junio nimirum menſe caput radicis plaga obliqua vulneratur, fuccus ex vulnere defluens lacteus conchiſ, ſeu propriis vaſis excipitur, & ſole exſiccatur; fuccus per duodecim horas ſtillat, & quælibet radix ejus vix aliquot drachmas largitur; eidem vix collecto, ruſtici farinam, cineres, ſabulum adjiciunt. Idem AUCTOR *Autopta* teſtatur falſam eſſe, quam non pauci DIOSCORIDE duce alunt ſententiam, Euphorbium quoque addi. Hæc *Celeb. SPIELMANNUS*, qui jure quoque dubitat, an antiquorum Scammonium, idem cum noſtro ſit; cum DIOSCORIDES Scammonium nitidum, & colore glutini ſimile eſſe dicat, & illud ad drachmam unam pro doſi præſcribat. MESUE in modum gemmæ clarum, & boni odoris eſſe tradat.

CONVOLVULUS MECHOACANNA:  
Americanus Mechoacan dictus à LINNÆ. *Mat. Med. p. 60.*

Radix hujus plantæ, quæ in officinis aſſervatur, craſſa eſt, ſubſtantix laxioris quam Jalapæ

PENTANDRIA MONOGYNIA. 41

lapæ radix, carnosa, succulenta, alba, ex America ad nos adfertur.

Pituitosos, aquosos serofosque humores blande, ac sine molestia educit. Recens, albicans, ponderosa eligitur. LINN. DALE.

Vis radice purgans decoctione perit. *Cel. de CRANTZ.*

CONVOLVULUS TURPETHUM: foliis cordatis, angulatis; caule membranaceo, quadrangulari; pedunculis multifloris.

Modo cortex, modo radix, oblonga, crassa, resinosa, foris fusca, intus albida, saporis subacris, & nauseosi, ex India ad nos transfertur, officinis usui veniens. Crassos viscososque humores, sive pituitam fortiter elicit. DALE.

Gummosam tardiusque purgantem asserunt.

LINNÆUS. CRANTZ.

Turpethi itaque nomine in officinis prostant cortices digiti circiter longitudine, & latitudine lineam crassi, striis longitudinalibus notati, extus dilutius fusci, intus magis albicantes, striis nigris, resinosis distincti, sapore nullo præditi. Interdum ipsæ radices prostant, seu frustra radicum, plures pollices longa, ex capite ad quatuor pollices crasso, in corpus cylindricum, pollicare terminata, rugis longitudinalibus notata, hinc inde scrobibus excisa. SPIELMANNUS, qui, primos Arabes

## 42 PENTANDRIA MONOGYNIA.

medicamenti mentionem fecisse testatur, sed eorum descriptiones adeo breves esse ait, adeo inter se distantes, ut quid eorum Turbith fuerit, neutiquam confici possit. Radices vero hodie usitatas, a GARCIEL *ab orto* tempore demum obtineri, IDEM laudatus AUCTOR affirmat.

CONVOLVULUS JALAPA: caule volubili; foliis difformibus, cordatis, angulatis, oblongis lanceolatisque; pedunculis unifloris. *Mant. 43.*

Radices plantæ hujus figuræ ovalis, succo lactescente plenæ, Raphani hortensis mediocris radices sat bene referentes, extus nigricantes, intus recentes striis nigris notatæ. Cum facillime mucorem ingentem contrahant, statim in loco in orbiculos scinduntur, torrentur, exsiccantur, atque sic Jalapæ sub nomine ad nos vehuntur taleolæ ut plurimum rotundæ, quæ talerum circiter æquant; interdum etiam oblongæ, gryzeæ, cortice nigricante, rugoso, substantiam gryzeam, nigris striis variegatam, cingente, odore proprio, nauseoso, similique sapore, cui evidens acrimonia inest, instructæ. Quo graviores sunt, & quo plures strias nigras habent, eo meliores.

Sub initium seculi superioris medicamentum hoc ex Xalapa Urbe, Regni Mexicani sedecim leucis a vera cruce distante, in Europam fuit allatum. SPIELMANNUS.

Effe-

Effectum purgantem ratione resinæ quam fovet, edit; quæ cum evidenti acrimonia gaudet, ut WEPFER in canibus vidit, BOERHAAVE ex faucibus ab ea exulceratis concludit, hinc recte medicamentis fortioribus adscribitur.

Cum autem taleolæ resinam in diversa ratione vehant, hinc circa ejus dosim in diversas partes abeunt Autores. Prudentiores, ait SPIELMANNUS, ejus loco præscribunt, ob quam solam efficax est, *resinam*; hæc mox, postquam ipsa radix in usum trahi cepit, parata fuisse videtur, cum *Lypsienses Anno 1634.* de eadem tanquam medicamento noto loquantur, teste SPIELMANNO.

Evidenter irritando agit resina, hinc facile nauseam, vomitum, tormina excitat, nec exhibenda, nisi alicui saponi juncta.

Porro non paucae observationes prostant, de damnis ex ejus usu excitatis, quarum plures BUCHER, & COJ collegerunt. Vide *Mat. Med.* SPIELMANN.

CONVOLVULUS SOLDANELLA: foliis reniformibus; pedunculis unifloris.

Planta nauseosa, acris, drastica, hydragoga est; hujus herba in officinis prostat. Folia quinque in infuso theiformi dedit puellæ L. B. VAN SWIETEN, & vigesies quinquies purgata est: de CRANTZ. Ob vehementes vires

res

## 44 PENTANDRIA MONOGYNIA.

res purgantes, quas planta possidet, ab antiquis in Hydrope adhibebatur. *Onom. Botan.*

CINCHONA OFFICINALIS: Folia opposita, petiolata, integerrima, subtus tomentosa. *Flores* paniculati, pedicellati. *Calyx* monophyllus, minimus, campanulatus, obsoletissime quinquedentatus. *Corolla* infundibuliformis, extus tomentosa: *Tubus* cylindricus, calyce multoties longior. Limbus tubo brevior, quinquepartitus, laciniis ovato-oblongis, patentibus, apice intus margine lanatus. *Filamenta* quinque setacea, e medio tubi. *Antheræ* oblongæ, supra basim anteriorem affixæ in fauce corollæ. *Capsula* bipartibilis, dehiscens in duas partes dissepimento parallelo, latere interiore dehiscentes.

Auctoritati *Illustriff.* à LINNÉ innixus plantam venenatis adnumeravi; in qua sententia aliorum quoque opinio me confirmavit. Plures enim Medicorum Auctorum (licet quomodo tot tamque diversi corticis in corpus effectus fiant, nemo hucusque perpexerit) plures inquam Medicorum Auctorum effectum, quo nimis etiam Hæmorrhagiis medetur cortex, ab ejus narcotica vi petere volunt. Imo LINDER de Venenis teste Cel. de CRANTZ, Corticem coctum, filtratum, in pilulas coactum, Opii vires in sedando immodico fluxu, impetu cordis, & Febre suspendenda, strenue æmulari asserit.

Nomen



Nomen suum planta ab Auctore, qui primus hanc viresque ejus contra Febres intermittentes propria experientia edoctus Europæis notas fecit, accepit. Egregium enim hoc remedium, SPIELMANNO referente, primum ab Americæ incolis uxori Comitis de CINCHON, qui in Regno Peruviano Regis locum tenuit, Anno 1638. fuit detectum; quæ, cum cortice in pulverem redacto à Febre pertinaci convalevit, magnam ejus quantitatem inter ægrotos distribuit, unde pulvis *Comitiſſæ* dicebatur, ministerio Jesuitarum ad hunc scopum usæ: hi per Procuratorem generalem Regni Peruviani in Europam reducem, ejus largam quantitatem Cardinali de LUGOS miserunt, in cujus primo palatio, dein in Collegio Jesuitarum Romano dispensabatur, hinc à Cardinali, æque ac à Jesuitis denominatur. Anno 1640. Comite de CINCHON Europam repetente, ejus Medicus largam quantitatem Corticis secum adtulit, & illum insigni pretio vendidit. Ulteriorem medicamenti hujus progressum, diversas ejus in diversis morbis observatas vires, obstacula, quæ divinum hoc medicamentum, ob ignorantiam, fraudem, pusillanimitatem Medicorum, Mercatorum, ægrotantium, expertum est, qui uberius compertam habere desiderat, adeat MORTONUM, TORTI, HUXHAM, RICHAM, WERLHOF, varias *Rationis Medendi* partes, ANDREÆ de KRUPINSKI *Traclatum de febribus*

*bribus Cap. XI. Mat. Med. Cel. de CRANTZ, SPIELMANN. Onom. Botan. &c.*

Ego Magnifici de HAEN verbis rem finiam, ubi omnes fere hujus medicamenti vires à tot Illustribus exploratæ Viris, ampla diuturna que sua confirmat praxi, dum *Rationis Medendi part. III. pag. 123.* ait „ Video quam potenter gangrænam sistat, vitamque parti restituat: dum dedero eum in Hæmitritæa, „ observo mirabundus, quod nimios moderetur motus, calores; quos tamen mire auget in flaccidis inertibusque corporibus: lætus contemplor, quam blande feliciterque necdum adparentes cutis efflorescentias, Variolas, Miliaria, Petechias, foras trudat, „ sustineatque; quam pulchre maculas purpureas, lividas, nigras auferat; mictum cruentum, cruentam alvum, in desperatis malignis sistat, „ quam fortunato, suo si tempore apto, sua si copia detur, intermittentes febres, tum universales, tum topicas curet, „ quam tuto hæmorrhagias sistat, roboret nervos, sanguinem inspillet aquosum, mucosum attenuet, amissumque restituat vasis tonum. „ Hisce omnes admirandi Corticis effectus comprehensi sunt: unde patet, medicamentum hoc non tam egregium, quam unicum, quo certissime dicta præstari possint, esse.

LONI-

**LONICERA PERICLYMENUM:** capitulis ovatis, imbricatis, terminalibus; foliis omnibus distinctis.

**ADAMO LONICERO** *Medico Francofurtano* nomen suum planta debet: hujus folia, & stipites sub nomine Caprifolii in officinis asservantur à LINNÉ. Idem plantam ingratam, vulnerarias, mundificantes vires possidere affirmat. Oves illam non attingunt. Succus radicis colorem cæruleum, succorum vegetabilium in rubrum mutat; cortex ramorum salinus, odoris ingrati, uti & baccæ à Kamschatka incolis ad acuendos spiritus fermentatos adhibentur; folia cimices redolent; flores diuresin, baccæ alvum movere creduntur. *Onom. Botan.*

**LONICERA XYLOSTEUM:** pedunculis bifloris; baccis distinctis; foliis integerrimis, pubescentibus.

*Flores exalbidi.*

Planta ab Ovibus relinquitur. Baccæ fortiter alvum ducunt, & majori copia assumptæ vomitus causant; ex floribus apes mel colligunt.

*Onom. Botan.*

**LONICERA DIERVILLA:** racemis terminalibus; foliis ferratis.

In officinis stipites asservantur teste à LINNÉ. Nauseosa planta vires pellentes possidet.

*Idem.*

MIRA-

MIRABILIS JALAPA: floribus congestis, terminalibus, erectis.

Plures antiqui Scriptores, Jalapæ radices ab hac planta provenire crediderunt; & IPSE *Illustrif.* à LINNÆO ideo Jalapæ nomen huic apposuisse videtur, quam nunc ex Convolvuli specie desumi compertum.

Radix plantæ hujus leniter alvum movet.  
*Onom. Botan.*

VERBASCUM THAPSUS: foliis decurrentibus, utrinque tomentosis; caule simplici.

Subodorata planta, satuo-amaricans; cujus herba, & flores officinis asservantur, ob vim anodynam, antispasmodicam, emollientem, repellentem. Ratione interni usus cautiore Medicos esse vult LINNÆUS, cum plantam hanc pisces occidere, & temulentos reddere, ut manu capi possint, in experimento sit.  
*Amæn. Acad. disert. de viribus plant.*

VERBASCUM NIGRUM: foliis cordato-oblongis, petiolatis.

Inspida, mucilaginoso planta, cujus radicem sibi officinæ vendicant, quo ad virtutem stupefaciens, emolliens est, LINNÆUS.

Hujus radix contra Phthisim Boum, à Sondmoris adhibetur. *Amæn. Acad. t. 7. p. 490.*

DATURA FEROX: pericarpis spinosis, erectis, ovatis; spinis summis, maximis, convergentibus.

Plan-

PENTANDRIA MONOGYNIA. 49

Plantæ hujus semina rugosa, reniformia, foris fusca, intus exalbida, quæ olim officinis recepta fuere, vim habent dementantem; ut semen in pulverem redactum, & in potu exhibitum, mentem turbet, & alienet, insaniam quandam 24. horarum spatio durantem inducat.

Miser qui eam hauserit, diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut ejulans, aut dormiens, plerumque etiam alteri colloquens, & respondens; ut interdum etiam sana mente esse credas, tametsi mentis non sit compos; neque eum agnoscat, cum quo sermones confert; atque colloquii habiti plane immemor sit, postquam ad se redierit. DALE.

LINNÆUS vero *Amœnitatum Acad. parte VI. p. 184.* „ Daturæ feminibus multum Tur-  
 „ cæ abutuntur, cujus plures sunt species, quæ  
 „ ad effectum variant, & certo modo propi-  
 „ nata, eam adferunt fumentibus stupiditatem,  
 „ ut ad scelera, quæ patrantur, animum non  
 „ adtendant, nec sobrii facti eorum recordari  
 „ queant; quamvis fur domino spectante im-  
 „ pudenti rapina peram spoliaret, is tamen hoc  
 „ veneno inebriatus injustum hoc esse non in-  
 „ telligat, nec postmodum hujus rei memoriam  
 „ in animum revocet, & adulteri ipsi, spectan-  
 „ tibus maritis thalamum fœdare audeant, ab  
 „ ira eorum pariter, ac memoria securi. Me-  
 „ retricem fuisse ferunt, quæ feminis hujus in-

D

„ fuso

50 PENTANDRIA MONOGYNIA.

” fuso nobiliores intoxicaverit puellas, & fa-  
 ” laces admiserit juvenes, unde secuta con-  
 ” ceptio virginibus plane ignoratis, anicula  
 ” vero re comperta, vivi comburio justas de-  
 ” dit pœnas.

**DATURA STRAMONIUM:** pericarpis spi-  
 nosis, erectis, ovatis; foliis ovatis, glabris.  
*Oed. Dan. 436.*

Semina officinis largitur. Minima harum  
 dosis inebriat aliquantulum, mediocris memo-  
 riam tollit, & insaniam inducit, major Con-  
 vulsionem, Sudorem frigidum, mortem infert.  
 Funesto errore sæpe pro *Nigella* divenditur:  
*Breslavienses.* Et ita datum ad drachmam unam  
 pharmacum fœminam occidisse **HALLERUS** præ-  
 bet. *Cel. de CRANTZ.*

Licet vero per experimenta **SPRÖEGEL**  
 canis unciam semis feminum absque ulla noxa  
 affluserit, tamen oves plantam hanc non ad-  
 tingunt; & humano generi ab omni fere ævo  
 deleteria observata fuit. **DOEDERLIN** integram  
 familiam a *Stramonio*, sub *crambes* forma assum-  
 to, Narcosi, & motibus convulsivis corripit vi-  
 dit: a foliis *Ulcusculo* ad oculum appositis,  
*Paralyfim pupillæ* notavit: a feminibus *Deliria*,  
*Motus convulsivos*, *Apoplexiam*, *Paralyfin*  
*surrexisse* **BUCHNER**, **KRAMER**, **SWAINE**,  
*Cel.* **LOBSTEIN** viderunt. Hæc **SPIELMAN-**  
**NUS:** plura in laudata toties *Differt. Cel.* **GME-**  
**LIN** legi possunt.

At

At etiam salutares ejus effectus observaverunt Auctores: ILLUSTRIS. L. B. DESTÖRCK mentem alienatam, hoc curatam aliquoties est expertus.

De usu Stramonii VIRI hujus ILLUSTRIS. *Liber* erudito orbi notior, quam ut hic ejus mentio fieri debeat, videndus. Plures, & insignes effectus aliquis *Medicus in Comment. Lipsien.* ODHELIUS, plures observationes habet de Epilepticis eo partim curatis, partim multum levaminis expertis. Et BERGII observationes adducit de Delirio, Spasms abdominalibus, & Convulsionibus inde curatis. sæpe laudatus SPIELMANNUS.

DATURA TATULA: pericarpis spinosis, erectis, ovatis; foliis cordatis, glabris, dentatis.

Quum planta hæc cum Datura Stramonio externis notis, imo ipso gravi odore omnino conveniat, vix dubitari potest eas viribus a se differre. Tum GARZIAS ab ORTO *Arom. Lib. 2. Cap. 24.* ait. „Ex Datura, vel Tatula, mentis emotio, ut magna cum voluptate finant quod lubitum est deprædari; quo artificio utuntur latrones, quos deprædari volunt, in cibos immittentes flores, vel semen, durat hæc mentis alienatio 24. horarum spatio.“ Impudicæ Mulieres eodem modo aggredi homines consuevere. CHRIST. a COSTA *Lib. Aromat. p. 78.*

*Cel. Professor* JACQUIN, in Prælectionibus Botanicis sæpenumero monere consuevit, an non forte plures funesti casus, quos aliis Daturæ speciebus varii adscribunt, huic potius applicari possent.

**DATURA METEL:** pericârpiis spinosis, nutantibus, globosis; foliis cordatis, subintegris, pubescentibus. *Calyx non angulatus, sed teres, subtumidus, penisiformis.*

Plantæ qualitas subinsipida, virofa, toxica est. Semina quæ officinas etiam passim intrans, vim narcoticam, amnesticam, phantasticam, dementantem, exhilarantem, anodynâ, hypnoticam, repellentem, possident. A LINNÆ

**HYOSCYAMUS NIGER:** foliis amplexicaulibus, sinuatis; floribus sessilibus.

Veterum æque ac Recentiorum observationibus, & experimentis, Deliria, Caliginem, Affectus soporosos, Convulsiones, mortem ipsam producere planta observata fuit: quod auctoritate viginti & plurium adductorum Auctorum SPIELMANNUS confirmavit.

Radices sæpe verno tempore inter Pastinacas lectas atque comestas homines ebrios, stultos, furiosos, diverso modo, pro cuiusque indole fecisse, LINNÆVS *Amæn. Acad. t. 6. p. 184.* habet.

*Cel.* de CRANTZ a radicibus Hydrophobiae lethalis BARRERE; Furoris, & Delirii a manipulo



lo femis foliorum enemati incocto ETHMIL-  
 LERVM testem adducit. BOERHAAVIUM cum  
 suo amico dum emplastrum pararent a solo va-  
 pore temulentos factos; a feminibus comestis  
 desipientiam MATHIOLVM vidisse, idem testa-  
 tur. PETRVS de ABBANO C. 46. hæc habet:  
 „ Cui in potu data fuerunt semina Jusquiami,  
 „ patietur ebrietatem, & mentis alienationem,  
 „ & stuporem, & immobilitatem omnium mem-  
 „ brorum. “ Vifus obfuscationem, memoriæ  
 eclipsim, L. B. VAN-SWIETEN proprio peri-  
 culo expertus. A fumo feminum combustorum  
 mentis alienatio cum furore, imo etiam ab efflu-  
 viis feminum eadem mala in *Ephem. N. C.* visa:  
 IDEM *Cel. de CRANTZ. Cel. Chemiæ & Bota-  
 nices Professor* de JACQVIN, in prælectionibus  
 Botanicis, de hac planta exemplum nobis ex  
 HALLERO collega ejus SIMONISII adducere  
 solet; qui varias venenatas baccas impune assū-  
 mere poterat, a feminibus vero Hyoscyami  
 assumtis, dimidium corporis latus resolutum ha-  
 buit, a quo malo magna cum difficultate a BOER-  
 HAAVIO curatus fuit: & *Illustris. L. B. VAN  
 SWIETEN*, qui assumta feminum Hyoscyami  
 quantitate tanta, quantam cultri mediocris apex  
 capere poterat, pessime inde affectus, Spasmis  
 molestatus, & aphonus pro tempore factus.  
 Demum exemplum filix Hortulani Vindobonen-  
 sis, quæ a comestis aliquot granis Hyoscyami  
 feminum, per quinque dies integros Convulsio-  
 nibus

## 54 PENTANDRIA MONOGYNIA.

nibus pessimis torquebatur. Idem *Celeberrimus* mihi nunquam satis colendus *Professor* de JACQVIN *autopta* auditoribus suis narrare consueverat. Plura in *Dissert. Cel. GMELIN, Dissert. Clar. GUERIN pag. 53. & sequent.* videre est. Quod animalia adtinet, licet parum admodum canes ab hac adficiantur planta, oves tamen illam intactam semper relinquunt. Muribus, gallinis, anseribus, muscis, & fere omnibus insectis, verum est venenum. Licet vero planta quoad venenatas vires adeo nota sit, ab omni tamen ævo Medicos exstitisse, qui illam vel intus scopo medicato exhibere aui sunt, SPIELMANNUS asserit. SERAPION, & HERACLIDES, Hyoscyamum, COELIO AURELIANO teste, ægris deglutiendum dederunt. ASCLEPIADES, & GALENUS ad medicamenta interna adhibuerunt: superiorum sæculorum Medicos *Illustris HALLERUS* allegat. DALE vero, qui plantam refrigerantem, emollientem, mire somnum inducentem, dolores sedantem, & rationem perturbantem asserit, internum ejus usum rarissimum esse ait: exhiberi tamen ad Hæmorrhagiam curandam, SCHRÖD femina in Hæmorrhagiis adhiberi adducit. ILLUSTRIS. NOSTER L. B. a STÖRCK magis communem plantæ hujus interam usum fecit, & in longe pluribus casibus efficacem experimentis demonstravit: qui felici cum eventu eam vario Convulsionum, & Epilepsiæ generi, Diabeti spurix, Melancholiæ, Ma-

Maniæ, Hæmophthifi, Tussi siccæ &c. ut in  
Ejvs de hac planta *libello* videre est, opposuit.

*Cel. COLLIN, GESNERUS, FORTHERGILL*  
in Convulsionibus, malo Hysterico, Ulcere  
viarum urinariarum exhibuerunt, teste laudato  
SPIELMANNO.

Ex feminibus oleum conficitur, cujus, tem-  
poribus illiti, ad fomnum parandum miræ sunt  
vires. Est etiam in usu in Gonorrhæa, & ni-  
miis mensibus, regioni lumborum, & perineo ap-  
plicatum. DALE.

Folia extus resolvendi ergo, & scopo ano-  
dyno applicantur; femina HIPPOCRATES ad  
linimentum contra Tetanum recepit. SPIEL-  
MANNUS.

Seminum vaporem in dentem cariosum ad-  
missum, tum *Actorum Hassnienfium*, tum alio-  
rum testimonio, noxium pronuntiat *Celeb. de*  
CRANTZ.

Radix, herba, femina officinas Pharma-  
ceuticas intrant.

HYOSCYAMUS ALBUS: foliis petiolatis,  
sinuatis, obtusis; floribus sessilibus.

Semina, quæ in officinis quoque asserva-  
bantur, parva, rotunda, compressa, ex cine-  
reo fusca, odoris narcotici, & ingrati, mitio-  
ra tamen longe sunt feminibus Hyoscyami ni-  
gri. DALE.

SPIELMANNUS vero folia, & femina Hyo-  
scyami albi Parisinos recipere, eorumque effe-

ctus in corpus humanum à prioribus diversos non esse, asserit.

HYOSCYAMUS PHYSALODES; foliis ovatis, integerrimis; calycibus inflatis, subglobosis. *Amæn. Acad. 7. t. 6. f. 1.*

*Descriptio Pulmonariæ hirtæ spec. plant. 1667. hujus est.*

Qui hujus infusum biberunt, temere efutire dicuntur, quod quivis eos interrogaverit, etiam si maxime id arcanum foret, ex relatis.

HEINTZELLMANNI *Amæn. Acad. t. 6. p. 185.*

HYOSCYAMUS SCOPOLIA: foliis ovatis, integris; calycibus inflatis, campanulatis, levibus. *Mant. 46. 339.*

Solanum somniferum, bacciferum *Bauh. pin. 166.* SOLANUM somniferum alterum *Cam. epit. 816.*

Scopolia carniolica *JACQ. spec. t. 20.*

Planta jam DIOSCORIDI nota sub nomine Solani somniferi alterius, sub quo nomine MATTHIOLUS *Comment. in Diosc. Joach.* CAMERARIUS retinuerunt: uterque elegantem figuram ejusdem dedit. SCHENKIUS. *p. 699. Lib. de Venenis* eandem, retento nomine, inter venena reponit; ubi ex CAMERARIO refert BUCHANANUM *L. 2. hist. Scotiae* exponere, quo pacto plantæ hujus succo, vina, cerevisiam Scoti infecerint; unde Danos suos hostes ita dementarunt, & in profundum somnum induxerunt,

PENTANDRIA MONOGYNIA. 57

xerunt, ut eorum ducem SENONEM cum toto exercitu deleverint.

NICOTIANA TABACUM: foliis lanceolato-ovatis, sessilibus, decurrentibus; floribus acutis.

Planta Regno Peruviano indigena, à PHILIPPO HERNANDEZ de TOLEDO, PHILIPPO II Hispaniarum Regi missa, a NICOTIO Legato Gallo, a quo nomen integrum genus habet, in Lusitaniam, anno 1550 in Galliam, a CARDINALE SANCT. CRUCIS autem Romani allata, Anglis per DRACKE anno 1586 missa, hodie per omnem Europam, & in variis, Asiæ, & Americæ Regionibus colitur, & vulgo ab aliqua Insularum Antillarum denominatur. SPIELMANNVS.

Ejus herba nauseosa, virosa, toxica, acris in officinas Pharmaceuticas recepta est; vi anodyna, antispasmodica, paregorica, narcotica, vomitoria, errhina, vulneraria, sialagoga gaudet. à LINNÉ. DALE.

Venenatam experimenta probant. Venterculum subvertentem etiam externe in cataplasmate applicatam epigastrio STEDMANN; in fomento brachiis cruribusque impositam MARRIQUES; etiam narcoticam aliorum pericula habent: *Cel.* de CRANTZ. SPIELMANNVS observationem FEHR adducit, a pulvere Tabacum cum butyro, capiti contra Scabiem illito, Vertiginem, Vomitum, & Tumores surrexisse. Ol um

plantæ destillatum lethale creditur, si immediate sanguini animalis misceatur: imo unica gutta interne exhibita cætum occidisse fertur. *Onom. Botan.*

Nihilominus tamen syrupus plantæ ad morbos, qui a pituita surgunt, adhibetur; & ad morbos pectoris a simili causa syrupus, & extractum cum Moscho, maxima tamen cum cautela, à nonnullis usurpantur. *SPIELMANNVS. Onom. Botan.* Unguentum ad Tumores scrophulosos, & affectus cutaneos laudatur. *IDEM.* Decoctum aquosum Ulcera mundat; cataplasma Tumores aquosos potenter discutit, alios simul rubefacit; fumus Hystericas movet, licet in corrigendo miasmate pestifero utilis. *Cel. de CRANTZ.* Fumum hunc ano immittere primi Angli tentarunt: illum in pertinaciore alvi obstructione, Ileo, Hernia incarcerata egregiam opem præstitisse, instituta, observationes loquuntur. *SPIELMANNVS.* In Colicis etiam, Tympanitide, efficacem referatione alvi *Cel. de CRANTZ* testatur. Optimum instrumentum ad hanc medendi rationem *Illustris GAUB* exhibuit, *SPIELMANNO* assentiente.

In foliis plantæ hujus varii varia oblectamenta quærent. Fumum sugunt uni, pulverem naribus attrahunt alii, alii demum ipsa folia masticant, qui mos hoc sæculo in Anglia maxime invaluit. Fumi suctio multis in usu sialagoga utilis, maxime vero laxis, & udis corpori-

poribus. Profuit asthmaticis, hinc inde etiam quos extenuat obes. *Cel. de CRANTZ*, qui monet. Est tamen quotidianus usus tantum non semper damnosus, & ex fumi suctione Tabes, Apoplexiæ, Epilepsiæ, pectoris, hepatis, ventriculi vitia, plures observarunt. Pulvis Tabaci naribus haustus errhinorum rationem sequitur: varia, quæ ipsi commisceri solent, ut varios effectus producat, efficiunt.

Masticatio foliorum ex iis, quæ de Masticatoriis monentur, est dijudicanda. *SPIELMANNUS*, qui simul meminit: illis, qui his assueti non sunt, caput evidenter obnubilari, facile quoque largiorem apud teneros homines quemque usum, & tales, qui modum excedunt, gravia omnino symptomata posse excitari, qualia *PAULINI*, & *HELWIG* adducunt.

Ad varios etiam usus œconomicos planta adhibetur: petioli pro Nitri matre, hoc est, pro Terra, ex qua dein Nitrum elixatur, inservire possunt. Cineres plantæ hujus saponariis, & nitrariis usu venire Cinerum communium loco; fumus combustæ plantæ egregium remedium est, contra insecta granaria devastantia; idem fumus in aures ovium per fistulam immixtus, vermes ibi loci sæpenumero animalia hæc infestantes occidere, & pellere solet. Cineres plantæ hujus, si cum Sale lambendi ovibus præbeantur, digestionem promoverè, sanguinem purificare creduntur, præcipuis

## 60 PENTANDRIA MONOGYNIA.

puis vero viribus gaudent, contra acaros ovium. Ut egregium purgans, & sanguinem purificans equis commendantur hi cineres, si non raro illorum pabulo inspergantur; & anferes ab ægritudine primo vere ipsis valde communi præservari possunt, si, quoties ex pascuo domum redierint, contusos carduos, reliquias a decoctione cerevisiæ residuas, Hordeum modice contusum in diversis vasis, & ter vel quater per septimanam cineribus plantæ hujus confersa illis exhibeantur, idque ad mensis usque tempora continuetur. Maxime quoque cineres hujus plantæ laudantur contra aphides; tum ad agrum argillosum corrigendum. Vitrum dat viride, quod dilute viride reddi potest, cineres clavellatos addendo; cineres hi demum alvum ducunt non aliter ac sal anglicum: omnia hæc, cum notatu digna crediderim, ex Onomatologia Botanica transtuli.

NICOTIANA RUSTICA: foliis petiolatis, ovatis, integerrimis; floribus obtusis.

PLANTA cujus folia in usum medicum trahantur, cum Hyoscyamo viribus convenit. DALE. Easdem cum præcedenti vires habere. *Onom. Botan.*

ATROPA MANDRAGORA: acaulis, scapis unifloris.

Planta Antiquitati adeo nota, cujus radicis imaginaria, & a longe petita similitudo ansam



ansam tot præjudiciorum, tot magicorum effectuum incautis, & credulis præbuit. Planta hæc amari, & nauseosi saporis, fortis, & ingrati odoris est. Succus expressus radice, aut infusum ejusdem vinosum, aut incaute manducatus fructus, somnum præternaturalem inducunt. Amentiam, Furorem, Nauseas, Ventris dolores, Animi deliquia excitant. Quod *Illustr. de ABBANO* testimonio confirmatur (*l. c. C. 24.*) „ Cui datur in potu succus Mandragoræ, aut poma ejus, aut radix ejus, ruborem in facie & oculis, & stuporem in mente, & mentis alienationem, & amentiam, & somnum profundum patietur.

Nihilominus tamen in manu prudentis Medici planta hæc, ac præcipue ejus radix in pulverem tusa, & emplastri forma applicata ad glandularum tumores efficax evadit medicamentum. Et sane radix Mandragoræ officinas intrat, quæ, æque ac plantæ cortex, vim purgantem, pellentem possidet.

Planta integra virosa, toxica est, narcotica, phantastica, dementante vi prædita ut dictum. Plura de Mandragora apud DEUNSI-NGIUM in fasciculo *Dissert.* videre est.

ATROPA BELADONA: caule herbaceo; foliis ovatis, integris.

Jam diu plantæ hujus venenata indoles nota, quæ plurimis infelicibus casibus omnino con-

confirmata est. Color externus plantæ, conspectus totus luridus, tristis quid ei inesse denotat; quæ licet canibus in omni experimento minime noceat, hominibus tamen, ac præcipue juniori ætati, maxime noxia, & lethalis in omni experimento deprehensa est.

Inspida planta, virosa, toxica; narcoticas, phantasticas, paralyticas vires possidet, à LINNE<sup>1</sup>; hinc Solanum furiosum, maniacum etiam aliis dicta.

Radicis minor dosis Species vanas, duplicata Mentis alienationes, quadruplicata mortem adfert. DIOSCORIDES. A folii recentis particula oculo adposita, Pupillæ relaxationem RAJUS; Cæcitatem WEPFERUS. LAMBERGEN. & *Illustris.* a HAEN, a foliorum granis duobus, aut tribus cum aqua infusis Temulentiam, Vertiginem, Debilitatem visus surrexisse viderunt. THALIUS adducit aliquem, qui ex decocto Soliorum sopore lethali fuit adfectus. Baccæ vero primum maniacos, furibundos, dein lethales producunt effectus: cujus rei exempla innumera prostant apud MATTHIOLUM, LOBELIUM, SCHUSTERUM, SCOPOLI, HALLER, & in *Actis Paris. ad annum 1703.*

Interim plantam hanc ad varios usus trahere conati sunt diversi. Sub tempus jam MATTHIOLI in Italia Fœminæ aquam cosmeticam

ficam inde destillabant. Medici ad usus suos eam quoque trahere non dubitarunt: ac imprimis externe ejus radix, aut potius recentia folia ad loca inflammata scopo discutiendi, ad glandulosos Tumores resolvendos, & præcipue in dirissimo Cancro, ubi specifica habita fuit. ALBERTI. Imo GALENUS jam ad Cancrum folia externe adhibuit RAJO teste: licet non semper innoxio, aut felici eventu. HEYSTERO, HALLERO, GATAKER testantibus, qui ex novis experimentis peculiari adversus Cancrum virtute valere negarunt. Quamvis nuperrimis bene WANDERBLOCK cesserit. *vide Mat. Med. Cel. de CRANTZ. SPIELMANN. Dissert. de Vegetabilibus venenatis Alsat. Gue- rin. pag. 16. & sequent.* ubi plurima invenies ad rem facientia, quæ ob strictos limites, quos mihi proposui, huc adferre non licet.

GESNER succum foliorum interne ad sistendos alvi Fluxus, & Dolores, nec non ad conciliandum somnum dedit. Succum fructuum, ad syrapi consistentiam cum pauco saccharo decoctum, ita efficacem esse, ut vel cochlearis parvi dosi somnum inferat, Fluxiones sistat, Dolores tollat, Dysenteriam curet. SCHENKIUS *Lib. 7. de venenis e plantis pag. 817.* qui eodem se feliciter usum esse testatur, asserit. Alii ex extracto cum foliorum pulvere pilulas pararunt, & pertinacissimos Icteros sanasse affirmant.

Picto-

64 PENTANDRIA MONOGYNIA.

Pictores baccis ad pulcre viridem colorem parandum utuntur.

Plura qui de hac planta desiderat, *Differt.*

*Cl.* GMELIN toties laudatam consulere potest.

PHYSALIS SOMNIFERA: caule fruticoso; ramis rectis; floribus confertis.

Radix, fructus officinalia sunt.

Radix vi somnifera, Opio tamen mitiore pollet; fructus urinam vehementer ciet, unde Hydropicis exhibetur. DALE.

PHYSALIS ALKEKENGI: foliis geminis; integris, acutis; caule herbaceo, inferne subramoso.

Fructus, quem planta hæc officinis largitur, nephriticus, diureticus &c. est. DALE.

Dum baccæ e calice desumuntur, cavendum probe, ne ab eodem amarissimo quippe contingantur, unde nauseosam amaritiam contrahere solent. SPIELMANNVS. *Onom. Botan.*

SOLANUM PSEUDO-CAPSICUM: caule inermi, fruticoso; foliis lanceolatis, repandis; umbellis sessilibus.

Planta fructum officinis dat, nonnullis in locis usitatum, cum Solano nigro viribus convenientem. DALE.

Solani fructus venenati communiter sunt; & licet aliqui in escam trahantur, hi tostione, & condimentis corriguntur, cum nulla exceptio a venenata huius generis indole sit. ZUCKERT. *Mat. Aliment.*

So-

PENTANDRIA MONOGYNIA. 65

**SOLANUM DULCAMARA**; caule inermi, frutescente, flexuoso; foliis superioribus hastatis; racemis cymosis.

Stipites Dulcamaræ, & radices in officinis asservantur. Nauseosa, subdulcis planta est; anodynam, repellentem, diureticam &c. vim possidens; Hydropem sanans à LINNÉ, DALE. Dulco-amaræ stipites majori dosi Convulsiones, & Deliria excitant; moderata vero Spasmos Convulsionesque solvunt, humores blande attenuant. *Magnif. de HAEN. Rat. Med. part. 4. C. VII. p. 247.* Oves plantam non attingunt. Triginta baccae in spatio trium horarum canem occiderunt, quæ in ejus ventriculo indigestæ repertæ. Plura vide in laudata *Dissertatione Cel. GMELIN.*

**SOLANUM TUBEROSUM**: caule inermi, herbaceo; foliis pinnatis, integerrimis, pedunculatis, subdivisis.

Planta, quæ anno 1590. CASPARO BAUHINO primum innotuit, ab omni venenata indole absolvi nequit; de qua non modo à congeneribus plantis, sed ex experientia Americanæ gentis, quibus in escam quotidie cedit, eosque cachecticos, & scabiosos reddit, concludere jure possumus. à LINNÉ. Qui etiam *Amæn, Acad. 6. p. 121.* plantam ipsam virosam esse, & tubera à suis respui affirmat.

E

DALE.

DALE vero radices, quæ olim in officinis affervabantur, vi foporifera, licet pauca, gaudere asseverat.

SOLANUM LYCOPERSICUM: caule inermi, herbaceo; foliis pinnatis, incisis; racemis simplicibus.

Fructum planta hæc officinis largitur; qui cum Solano, & Mandragora viribus convenit. Inter plantas ophthalmicas reponit MONTI, sed de ejus virtute disputatur, inquit BOERHAAVIUS. Neque lis hucusque composita est, qui, potius ad venenatas, quam ad medicatas plantas esse referendam, dicit. De Solano plura videri possunt apud VELSCHIUM in *epistola*, apud FABRIUM in *Strychnomania*.  
DALE.

Solanum hoc cum tota gente suspectum, Italis Sale, Pipere conditum comeditur, etiam coctum: BAUHINUS. Liberalius vero ingurgitatum periculo non vacat: *Idem*. Aphoniam, Apoplexiam induxisse in observatis est. Nonnulli ad Epiphoram, Erysipelas, Ignem Sacrum, externe laudant.

SOLANUM NIGRUM: caule inermi, herbaceo; foliis ovatis, dentato-angulatis, racemis distichis, nutantibus. *Oed. Dan.* 460.

Planta, cujus herbam officinæ recipiunt, virosa est; vi anodyna, hypnotica, paregorica gaudet. à LINNE. Solanum hoc pro Atriplice in cibum sumtum, venenatos edidit effectus.

*Com.*

*Com. lit. Nor.* Etiam a baccis gallinas periisse,  
& convulsos pueros fuisse, mohet BOERHAA-  
VE. *Cel. de CRANTZ.*

SPIELMANNUS vero autumat verosimi-  
le esse, observationes, quæ de noxis inde ex-  
citatæ profant, Atropæ potius etiam Solanum  
dictæ, quam Solano nostro adscribendas esse;  
quod Veteres oleribus adnumerabant, & quo  
vel hodie adhuc Indos tanquam olere uti, SLOA-  
NE testatur. Primus ARDUINUS venenis plan-  
tam adscripsit, atque etiam post ipsum vix non  
omnes Auctores referunt. Licet coctionem  
condimenta multum vires noxias corrigere cui-  
libet perspectum sit, præcipue, si hæ in parte  
magis volatili resideant, hinc ut olus etiam  
comedi plantam absque præiudicio posse; ta-  
men, cum in utramque partem observationes  
Illustrium Virorum profent, litem hanc inter  
tantos Viros dirimere, meum non est. Nibilo-  
minus *Illustris.* à LINNÉ quem in toto Dissertationis  
cursu sequi mihi proposui, circa hanc  
quoque plantam secutus; eam, cum tota fami-  
lia inter suspectas reposui. Quod usum medi-  
cum hujus plantæ adinet, sequentia ex *Cele-  
berrimo de CRANTZ* adduco. „ Usu externo  
„ Inflammationi, Paronychiæ, Erysipelati,  
„ Cancro, cataplasmatis forma admovetur;  
„ Solano furioso interno usu præferendum. Do-  
„ sis prima grani j. in uncia una aquæ ferventis,  
„ post duas, tres dies repetenda, & solum ad

E 2

„ grana

„ grana v. vj. augenda; tunc illico desisten-  
 „ dum, ni vel perspirationem, vel urinam,  
 „ aut alvum medicamentum moveat; tali me-  
 „ thodo Hemiplegia curata fuit; & quod uri-  
 „ nam movet, etiam Hydrops; „ plura in to-  
 ties laudata *Dissert. Cel.* GMELIN.

SOLANUM MELONGENA: caule inermi,  
 herbaceo; foliis ovatis, tomentosis; peduncu-  
 lis pendulis, incrassatis; calycibus inermibus.

*Solanum pomiferum fructu oblongo Bauh.  
 pin 167. Pluck Phyt. 226. f. 2.*

Planta, quæ fructum officinalem fert, ho-  
 mines soporosos, & furibundos reddit. BOERH.  
*hist. plant. 5 II.*

In acetariis, & bellariis Itali, & Hispani  
 fructu utuntur. RAJ. *hist.* DALE. Nec mirum,  
 plantam in acetariis comedi, cum & plurium  
 venenorum Antidotum acetum sit, & ipsæ Opii  
 vires multum aceto infringantur.

CAPSICUM ANNUUM: caule herbaceo;  
 pedunculis solitariis.

Fructus, qui officinis Piper Indicum audit,  
 igneus, rarius datur; Hydropicis tantum, &  
 Asthmaticis utilis; etiam glutinosum sponta-  
 neum domat. Dosis scrupulosa ad grana quatuor  
*Cel. de CRANTZ.* HIPPOCRATES resolventi  
 ergo tam intus, quam extus adhibuit. GALE-  
 NUS multum calefacere adnotavit, & ad mor-  
 bos ventriculi frigidos quoque laudavit. In

Ructi-



Ructibus acidis egregie profuisse vidit RIVERIUS. Ante frigus paroxifimi febrilis DIOSCORIDES commendat; qui mos vel hodie adhuc inter plebem obtinet, pessimus omnino, teste *Illustriff. VAN-SWIETEN*. CELSUS urinam pel-  
lere, & lumbricum latum curare dicit. HEISTER aphrodisiacum observavit: hæc SPIELMANNUS. Qui etiam extus detergendi ergo ad vitia oculorum, & resolvendi ad morbos faucium a DIOSCORIDE laudari, tumentis uvulæ magno cum successu admoveri, revellendi præterea, & apophlegmathizandi scopo usurpari, dentem cariosum non male granis piperis repleti, HEISTERO monente, asserit. Nihilominus tamen Capsicum hoc, ob insignem qua eminet acrimoniam, vix a Medicis in usum trahitur.

Pulvis, vel etiam ipsi tantum vapores fortem Sternutationem, & sæpe Vomitus movent. *Onom. Botan.* Hominum respirationi noxium esse; vaporem omnes cimices suffocare, araneas, apes, panorpas, ex MARTINET *de Respiratione infectorum*, *Cel. de CRANTZ* refert.

STRICHNOS NUX VOMICA: foliis ovatis; caule inermi.

Amara, virofa, venenata planta à LINNÉ. Hujus semina orbiculata, compressa, cornea duritie, colore cinereo, foris parum lanuginosa, saporis amari, narcotica, virulenta, ast Opio deteriora, canes, feles, cervos &c., cum ci-

bo exhibita interimunt vomitumque cientem vim possident. DALE.

Fructum hunc certissimum animalibus venenum, multa ad oculum monstrant experimenta. A granis 15. interemptam puellam FREDERICUS HOFFMANNUS refert. Temulentiam, & Vomitum inducere SORBET notat. Imo jam ante hos deleterium observavit hunc fructum MATTHIOLUS, *Cel. de CRANTZ*, SPIELMANNUS. GESSNERI, WEPFERI, LOSSII, DE HEYDE, SEUTTERI, *Cel. HILLEFELD* experimentis patere ait, canes, feles, cuniculos inde convulsos perire. Imo MATTHIOLUM, HOFFMANNUM, de SCORBAIT, & SCUTTER exempla adducere, homines inde convulsos, & necatos fuisse.

Quare licet post Arabes, qui primi medicamento hujus mentionem fecerunt, VAN RHEDDE, FALLOPIUS, WEDEL, Collectores *Dispensatorii Brandeburgici*, MURALTUS, & Medici *Scaphusienses apud KÖNIG*, THEBESIUS, MONTINUS contra serpentum ictus, Pestem, Febres intermittentes, Gonorrhæam virulentam, Hydrophobiam, Deliria hypochondriacorum, Colicam, plantam hanc commendat; tamen *Cel. SPIELMANNUS* prudentis Medici esse ducit, cum securiora prostant medicamenta, ab usu suspecti desistere.

STRYCHNOS COLUBRINA; foliis ovatis, acutis; cirrhis simplicibus.

Plan.

Planta suspecta, acris, amarissima, Colubrini vulgaris lignum, radicem officinis largitur; emetica, anthelmintica, fatuantia à LINNÉ. Bilem, mucilaginem per alvum, nonnunquam etiam per vomitum educere, lumbricos necare, ac fugare, DALE asserit.

Sæculo primo XIV. in Europa innotuit. Indis ad morsus serpentum commendata, ad varios morbos a variis laudata.

Nos a medicamento suspecto, quod præ aliis securioribus nihil proprii habet, jure abstinemus. SPIELMANNUS.

FABA FEBRIFUGA: an Strychnos species?

GEOFROI *Mat. Med.* 485.

FABA Sancti Ignatii officinarum, Nux pepita seu Faba Sancti Ignatii *Act. Philosoph. Lond. N.* 249. p. 44.

Igazur seu nux vomica legitima SERAPIONIS. *Ejusdem* 88. f. 4. 5. 6. Vertiginem inducit, & vomitus ciet: DALE. Pellentes, diureticas, emenagogas, sudoriferas, anthelminticas à LINNÉ vires illi tribuit. SPIELMANNUS nuces has oblongas, avellana majores, angulares, substantiæ durioris, intus splendentis, extus gryseæ, saporis amarissimi describit; & CAMELLUM ad Insulas Philippinas Missionarium, primum harum Fabarum meminisse ait. Arborem, unde fructus hi desumuntur, adeo imperfecte descripsisse, ut ejus character

tracter definiri nequeat, Ipsas Fabas venenis, & incantationibus resistere, *Idem* laudatus Mifcicarius asserit. Antifebriles præterea, diureticas, enagogas, aristolochias, anthelminticas, stomachicas vires possidere; Vomitum, Catharsm, Tremores, & Convulsiones inde excitari quoque vidit. His subjungit SPIELMANNUS. Quare medicamento, de cujus viribus nonnisi per tunultuaria experimenta constat, rectissime hodie abstinemus.

**RHAMNUS CATHARTICUS:** spinisterminalibus; floribus quadrifidis, dioicis; foliis ovatis; caule erecto.

Amara, luteo-tinctoria planta, cujus baccas vi purgante præditas officinæ recipiunt: à LINNE. Baccarum harum siccatarum, & pulverisatarum drachnæ duæ purgant egregie in decocto, & locum obtinent in plurimis morbis; in pulvere etiam parum tostæ præscribuntur, & blande purgant. *Amæn. Acad. 7. p. 300.*

Ex baccis his Syrupus in officinis paratus, ob frequentem usum domesticus dictus, alvum movet; Hydropicis maxime præeunte SYDENHAMO commendatur. Imo in infantibus recens natis, ad mæconium eliminandum propinatur; sitim vero excitat. *Amæn. Acad. l. c.*

Baccæ hujus fruticis tria colorum genera præbent I<sup>mo</sup> Messis tempore lectæ, arefactæ, & tufæ, inque aqua, & alumine macerata, luteum

teum, seu croceum potius reddunt colorem. 2<sup>do</sup> Autumnum cum maturitate affecutæ, nigræ dum evaserint, collectæ, tusæ, & in vase vitreo asservatæ, pulcre viridem exhibent colorem, quem germani *Saftgrün* vocant. 3<sup>tio</sup> Circa festum Sancti MARTINI in arboribus adhuc hærentes si legantur, teste TRAGO puniceum colorem reddunt. DALE. *Onom. Botan.* Cortex fruticis, qui Vomitus quoque movet, recens pro flavo, antiquus pro profunde fusco colore parando, inservire potest.

Folia ab animalibus phytivoris expetuntur, quibus leniter alvum ducunt. *Onom. Botan.*

**RHAMNUS FRANGULA:** inermis, floribus monogynis, hermaphröditis; foliis integerrimis. *Oed. Dan. 278.*

Frutex in pratis non infrequens, in locis sub humidis proveniens, & quidem semper sub umbra proceriorum arborum, amaricantem, luteo-tinctorium corticem officinis impertitur; purgat humores noxios, maxime serum, tam per vomitum, quam secessum idque sat violenter. à LINNÆ DALE.

Utrumque jam MATHIOLUS, & DODONÆUS recensent. Primus, alvum educere; secundus vomitum, & secessum, sed nonnisi a recenti cieri asseverat. Teste SPIELMANNO, LINNÆUS *Amœn. Acad. 7. p. 299.* corticem hunc siccatum cerevisiæ secundariæ lib. j. infusum, & ad tertiæ partis consumptionem deco-

## 74 PENTANDRIA MONOGYNIA.

ctum, doſi uncia dimidia valentioribus, debilioribus vero drachmarum duarum, egregie purgare aſſerit.

In arte quoque tinctoria cortex hic uſum habere poteſt; ſi primo vere frutex decortice- tur, cortex in fruſta ſecetur, & lana nota in recenti tenui cereviſia cum hiſ fruſtis trium die- ram ſpatio maceretur, dein coquatur, evadet coloris flavi, quæ dein ſoli expoſita profun- diorem induet. Quod ſi lana hæc in fila du- cta, prius integro anno in lixivio Aluminis macerata fuerit, tum libero aeri expoſita, co- lorem rubrum acquiret. Externus etiam cortex badio colore tingit. Folia præbent expetiturum pabulum capris, & ſanum alimentum omnibus animalibus phytivoris, lac augent, leniter al- vum, & urinam cient, humores purificant.

Si folia, & baccaë minutim ſcindantur, in aqua coquantur, & bullienti ſic aquæ impo- natur, lana in fila ducta, præcipue quæ prius cum Betulæ foliis cocta fuit, tum per aliquot tempus in igne retineatur, acquiret ſic tractata viridem, aſt non conſtantem colorem.

Baccaë fortiter alvum ducunt, & ſuccus harum expreſſus inſpiſſatus, ab uncia ſemis, ad drachmas ſex exhibetur; in Scabie ovium pro- ficuum remedium commendatur. Semina leni- ter Diureſin promovent, & a nonnullis in Cal- culo laudantur. *Onom. Botan.*

EVO-

**EVONYMUS EUROPAEUS**; floribus ple-  
risque quadrifidis; foliis sessilibus.

Fructus officinis recepti vomitus cient,  
ventriculum obtundunt, & per secessum pur-  
gant. Ipsa planta noxia est, & non sine pe-  
riculo sumenda. Fructus extrinsecus adhibiti  
emolliunt, & surfures capitis detergunt. **DA-  
LE**. Ligno nonnulli vim adscribunt emeticam  
tantam, ut Tornatores, qui hoc ad sua opera  
expetunt, ipsa tractatione ligni emesin experi-  
riantur.

Folia non semel alvi fluxus produxerunt,  
licet multi contendunt eadem Vomitus aequè ac  
Diarrhæas excitare; quæ ultima proprietas fru-  
ctibus maximopere adscribitur. Hi ovibus ve-  
re deleterii sunt. Capsulæ fructuum ficcæ,  
pulveratæ inservire possunt, ut & membranosa  
seminum cuticula diversimode præparata, ad  
tingendum flavo, vel viridi colore.

**RIBES NIGRUM**; inerme; racemis pilo-  
sis; floribus oblongis. *Oed. Dan. 556.*

Decoctum ligni in Hydrope a nonnullis  
laudatur. Infusum corticis interioris, turio-  
num, vel & foliorum, ut medicamentum diu-  
reticum, stimulans, in variis morbis, ut in  
Hydrope, ad Symptomata a morfu rabido-  
rum animalium oriunda &c. a Gallis Medicis  
dicatur.

Bac-

Baccæ, quæ a multis ut suspectæ spectantur, urinam fortiter cient, & decoctum harum ad Tumores colli a nonnullis præscribitur.

Quidam recensent vinum ex his fieri posse, quod in spatio unius anni egregium evadit, & cum Spiritu sacchari; vulgo *Rum* dicto, mixtum, in Hydrope, & Calculo, egregiarum virium esse. *Onom. Botan.*

**HEDERA HELIX:** foliis ovatis lobatisque.

Planta hæc, folia, baccas, & gummi seu lacrymam officinis largitur; quæ ultima substantia resinosa, arida, dura, & compacta, coloris e spadiceo in aureum vergentis, vitreo nitore, sed non pellucido, saporis subacris, subadstringentis, odoris suavis. **DALE.**

Herba ipsa calefacit, & subadstringit. Hujus internus usus, quia capiti, & nervoso generi adversatur, rarus est. Baccæ purgant per superiora, & inferiora.

Gummi, velut lacryma ex trunco vulnerato stillans, causticum est insigne, lenteque interimere dicitur. **SCHRÖD.**

**RANWOLFIA TOMENTOSA:** *Jacq. obs. serv. 2. t. 35.*

Inter venenatas **LINNÆUS** integrum hoc genus reponit: ego, compulsis fere omnibus qui de hac planta scripserunt Auctoribus, nihil de viribus plantæ hujus invenire potui; nisi omnes tres hucusque notas plantæ species  
suc-



fucco lactefcente, copiofo fcatero. Nihilominus tamen auctoritati tanti Viri innixus, tum Canoni generali ex analogia deducto confifus, quod nimirum lactefcentes plantæ communiter venenatæ fint, plantam hanc venenatis adnumerare non dubitavi.

**CERBERA AHOVAJ:** foliis ovatis.

Lignum, quod pro instruendo foco aptum non est, odoris teterrimi, in ftagna injectum, pilces adeo temulentos, & stupidos reddit, ut manibus capi queant.

Cortex, fructus duriffimus est; & nucleus quem includit, maxime deleterius; adeo, ut Indi antidotum nullum hucusque contra hoc venenum notum habeant: iidem per fructus hos perforatos fila trajiciunt, quibus dein præcipue in salta suos artus ornare confueverunt.

*Onom. Botan.*

**VINCA MINOR:** caulibus procumbentibus; foliis lanceolato-ovatis; floribus pedunculatis.

Plantæ, cujus herbam officinæ recipiunt, quæque ficcata interdum ad infusa pectoralia teste SPIELMANNO infervit, cautum suadet usum à LINNÉ, & recentis vires pellentes asserit.

**NERIUM OLEANDER:** foliis lineari-lanceolatis, ternis; corollis coronatis.

Omnes plantæ hujus partes saporis sunt amarissimi, acerrimi, & deleterios effectus in

cor-

corpus nostrum exerunt. Ipse florum odor in clauso cubili mortem inferre potest. *Onom.*

*Botan.* ET PETRUS DE ABBANO *Cap. 13.*

” Cui succus Oleandri & ejus cornua, Folliculi vel ejus cortex, data fuerint in potu, ”  
 ” patietur sincopen, & tribulationem cordis ”  
 ” & anxietatem.“ Et *Cap. 37.* ” Qui comederit assaturam in veru excisso ex Oleandro, ”  
 ” aut qui dormiverit sub umbra Oleandri, aut ”  
 ” qui biberit aquam fluminis, sub cujus ripis ”  
 ” crescit Oleander, cujus copia est in Insula ”  
 ” Sardinia, & ego expertus sum illud, & vidi, ”  
 ” patietur aestuationem & amentiam, & rugitum ventris, & si balneum fuerit calefactum ex Oleandro, balneatus sincopem patietur in balneo. ” *Idem.* SCHENKIUS *de venenis* sequentibus confirmat.

Nerii vulgo Oleandri dicti maleficium elucet ex enarratis à JOANNE LIEBAUTIO *Comment. de Venenis.* ubi dicit, quosdam e ligno Oleandri veru fecisse, & carnes in eo affasse, unde mortui fuere.

Folia plantæ hujus officinas intrabant; hæc extrinsecus vim digerendi habent; intra corpus assumpta perniciofa, & venenosa esse scribit GALENUS, DALE.

Plura videri possunt in *historia plantarum* BOERH. *p. 3. 96.*

NERIUM ANTI-DYSENTERICUM: foliis ovatis, acuminatis, petiolatis:

NR.

**NERIUM Indicum:** filiquis angustis, erectis, longissimis. BURM. *Zyl.* 167. 177.

Planta lactescens, acris, vim præcipue notam anthelminticam possidet. Ejus cortex sub nomine corticis Profluvii in officinis profertur. à LINNÆO. Radix in alvi fluxu locum habet, in quem scopum teritur, & aqua fervida infunditur. IDEM. *Onom. Botan.*

**PLUMERIA ALBA:** foliis lanceolatis, revolutis; pedunculis superne tuberosis. *Jacq. amer.* 174.

Integrum plantæ genus succo albo, lacteo scatet. *Cel. Professor JACQUIN Americ. stirp. Pag. 36.* sequentia de viribus plantæ hujus habet. „ Paulo ante discessum meum in Insulis „ Caribæis ferebatur innotuisse occultum barbarorum remedium, quo certo tutoque sine „ ullo mercurii usu tollebant illi morbum dictum *Epian*, qui videtur luis esse Venereæ „ species, illud autem dicebatur radicum hujus „ jus Plumeriæ recentium decoctum. Utrum „ ulteriorum indagatio confirmavit assertum, „ ignoro.

## DIGYNIA.

**P**ERIPLOCA GRÆCA: floribus internodiis, terminalibus.

Planta lactescens à LINNÆO inter venenatas hujus generis reponitur; & cum ad sub-

fe-

80 PENTANDRIA DIGYNIA.

sequente: maxime accedat, vix etiam viribus ab iis differet.

CYNANCHUM MONSPELIACUM: caule volubili, herbaceo; foliis reniformi-cordatis, acutis.

Lacteus, acris succus, quo planta hæc scatet, concretus in pharmacopæis asservabatur; quem majori dosi, quam veri Scammonei, & minori effectu alvum movere testatur MAGNOL. DALE. Sæpe pro Scammonio etiam venditus fuit. *Onom. Botan.*

APOCYNUM ANDRŌSÆMIFOLIUM: caule rectiusculo, herbaceo; foliis ovatis, utrinque glabris; cymis terminalibus. *DOD. Mem. 59. t. 59.*

Planta, uti & aliæ ejus species succo lactescente scatet, qui ex foliis, vel radice fauciatis profilit, & interne tantum assumtus noxius est. *Onom. Botan.*

ASCLEPIAS GIGANTEA: foliis amplexicaulis, oblonge-ovalibus, basi pilosis, *Zia-raek BRUN. it. 315. t. 184. JACQ. obser. 3. t. 69.* Basis petioli supra barbata.

Planta animalibus, quæ huic necdum asfuenta sunt, lethalis est, non aliter ac Anemone nemorosa. Indi hac planta ad lac coagulandum utuntur.

Papus fericeus feminum in eundem trahi potest usum, ac aliarum plantarum ejusmodi lanuginem ferentium. *Onom. Botan.*

ASCLE-

PENTANDRIA DIGYNIA. 81

ASCLEPIAS SYRIACA: foliis ovalibus, subtus tomentosis; caule simplicissimo; umbellis nutantibus.

Plantæ hujus folia olim in officinis recepta, cum adipe in panes cocta, canes, lupos, vulpes &c. enecant in cibo data. DIOSCORIDES, DALE. Hinc vim suam venenatam manifeste ostendunt.

Dulcis succus in nectariis contentus, quem sat acrem volunt nonnulli, muscas quoque necare creditur. Canadenses inde saccharum conficiunt.

Papus seminum in fila ductus, & aliis ad texendum idoneis mixtus, egregie in hunc scopum, ut sericum inservit. *Onom. Botan.*

ASCLEPIAS VINCETOXICUM: foliis ovatis, basi barbatis; caule erecto; umbellis proliferis.

Lactescens, subvenenata planta, officinis dat radicem sub nomine radicis Hirundinariæ. Sudorifera, diuretica, emenagoga, expellens. à LINNÉ.

Recens veneni criminatur ob familiam. IDEM. *de CRANTZ.*

Planta ab ovibus non attingitur, Radix odoris ingratisissimi, saporis nauseosi, acris, amari, Vomitus excitat, unde valde suspecta est; licet ut medicamentum sudorificum, & diureticum, Hydropicis maxime commendatur; sicca tamen radix, aut infusa non adeo

F timen-

82 PENTANDRIA DIGYNIA.

timenda est. Externe ad Tumores varios colli, mammarum &c. adhibita fuit.

Papus feminum ad similes usus, ut superiorum, infervire potest. *Onom. Botan.*

ASCLEPIAS TUBEROSA: foliis alternis, lanceolatis; caule divaricato, piloso.

Radix hujus plantæ fusca, facultate venenosa prædita est. Ex America ad nos sub nomine Ipecacuanhæ transfertur. DALE. KALM radicum conscissarum, contusarum decoctum, ad Hæmorrhagias varias sedandas, tum in exulcerato utero maxime commendavit. *Onom. Botan.*

STAPELIA VARIEGATA: denticulis ramorum patentibus.

Odor plantæ hircinus, aphrodisiacus, lascivus ut à LINNÆ in *Hort. cliff.* refert; color floris luridus, ut THEOPHRASTUS describit; nectaria, plantam hanc suspectam abunde denotant.

HERNIARIA GLABRA: *glabra Oed. Dan. 529.*

Planta, quæ integra officinalis est, usum præcipuum habet in urina cienda; ventriculi, ac aliarum partium mucilage incidenda, educenda; bile, ac aqua expellenda. SCHRÖDER, DALE. In Herniis, Calculo, Hydrope, & a GRUHLMANNO in *distincto tractatu* in Cæcitate laudatur. *Onom. Botan.*

CHE-

PENTANDRIA DIGYNIA. 83

**CHENOPODIUM HYBRIDUM**: foliis cordatis, angulato-acuminatis; racemis ramosis, nudis.

Planta, quam jam odor suspectam esse prodit, & ut **TRAGUS** refert, porcis mortem infert, in humanum quoque corpus lethales effectus exercere solet: ut ex experientia **D. RUSTER** asserit.

**ULMUS CAMPESTRIS**: foliis duplicato-ferratis, basi inæqualibus.

Cortices, & folia in nonnullis Regionibus plantæ hujus officinalia sunt; vires cortex præter alias possidet alvum purgandi, pituitas, & aquas privatim trahendi. **DALE**.

**ASTRANTIA MAJOR**: foliis quinquelobis: lobis trifidis.

Radice[m] nigram, fibrosam officinæ recipiunt; quæ humores melancholicos purgat. **DODONÆUS** Veratro nigro **DIOSCORIDIS**, forma, & viribus respondere ait. **HILDANUS** ad lienalis Scirrhi curationem præscribit. **DALE**.

**BUPLEURUM FALCATUM**: involuclis pentafillis, acutis; universali subpentafillo; foliis lanceolatis; caule flexuoso. *Caulis purpurascens, totus paniculatus; umbelle saturate luteæ; umbelle sapius. 7.*

Herba calefaciens, aperiens, discutiens, urinam, & sudorem pellit; vulnere[m] mundificat;

## 84 PENTANDRIA DIGYNIA.

*Zwing, theatr.* DALE. Radicis decoctum ut antifebrile laudatur. *Onom. Botan.*

CONIUM MACULATUM: feminibus striatis.

Tanta inter Botánicos scriptores de planta hac discordia, tanta confusio; ut omnium Auctorum antiquissimorum pervolvas scripta, semper magis magisque dubius hæreas, quamnam plantam intelligere velint. Ob defectum enim systematis, cum tot plantis huic quidem affinibus, per characteres tamen Botánicos nuncquam optime distinguendis, confusa fuit: unde infelici errore Coquorum, Rhizotomorum, Pharmacopolarum, Medicorum, tot diversis planta fuit substituta; ut effectus inde secuti, totidem irresolubila sint problemata, cuinam plantarum harum illos adscribere debeamus. Sic Ligusticum Peloponesiacum, Oenanthe fistulosa, Oenanthe crocata, Phelandrium aquaticum, Cicuta virosa, Aetusa cynapium, Scandix odorata, Cærophillum hirsutum, Apium petroselinum &c. promiscue pro hac, hanc pro illis adhibitam fuisse; cui antiquorum Botanicorum Practicorumque scripta pervolvere otium est, ille de rei veritate convinci poterit. Dum vero plantarum dictarum fere omnes venenatæ sint indolis, hinc difficultas veritatis eruendæ patet. Porro effectus uni eidemque Conio maculato adscripti, tam diversi sunt, ut alii illud qua exitiale venenum, illi-

co



co occidens homines, & animalia propofue-  
runt; alii fat lentum venenum invenerint: ut  
femina, extractum plantæ, radix ipsa ingesta,  
nihil omnino mali adtulerint: sicuti D. ER-  
CHART in se ipso expertus est. FALLOPIUS  
vero, & MATHIOLUS luculenta exempla adfe-  
runt.

Quamvis vero diversitas hæc agendi, di-  
versitati loci, climatis, tempestati, diverso  
tempori colligendi plantarum, exploratoris  
constitutioni, idiosyncrasæ adscribi pro parte  
potest; imo omnimoda harum rerum observa-  
tio circumspectioque semper habenda; nihilo-  
minus tamen certum omnino est, non in omni-  
bus Regionibus, ubi de Conii maculati viribus  
scripserunt Auctores, Conium crescere; neque  
in omnibus, ubi experimenta cum Cicuta vi-  
rosa instituta fuere, Cicutam inveniri. Sic ab  
antiquissimis temporibus Cicuta officinalis sem-  
per pro usu externo erat: & in Regionibus  
magis septentrionem versus locatis, ut in Sve-  
cia, virosa officinas intrabat: ubi in aliis, uti  
in Austria, Conium maculatum semper pro Cicu-  
ta, quæ in Austria non crescit, adhibebatur.  
En quam facilis error, & nonnisi a Botanicis  
evitandus; ut quæ Cicutæ virosæ tribui debe-  
rent, Conio tribuantur, & e contra. Etenim  
vix persuaderi possum, ut effectus hos deleteri-  
os, quas in Græcia Cicuta edebat, Conio no-  
stro maculato, quod mitioris longe veneni

## 86 PENTANDRIA DIGYNIA.

esse credo, adscribere valeam. Antiquissimæ Auctorum Græcæ Cicutæ descriptiones anam mihi dubitandi præbent; nam cum communiter Antiquorum descriptiones circa figuram plantæ externam, colorem, & similia, relictis ut plurimum essentialibus plantæ characteribus, maxime versantur; cumque nullus macularum, quæ in Conio tam evidentes sunt, mentionem fecerit; & TRAGUS Cicutam suam describat radice brevi, intus cava, quæ omnia Conio maculato non conveniunt, cum radix hujus sit, & fatis longa, & minime cava; cumque radix brevis, & cava in plantis aquaticis maximo-pere observetur, an non plurimos igitur, si non omnes deleterios, vehementes, ac sine mora homines perimentes effectus, qui hucusque Conio adscribebantur, majori cum ratione Cicutæ virosæ? An non mortem etiam SOCRA-TIS, hujus potius deleteriæ vi adscribere poterimus? Dubium hoc, ut à tyrone Botanices, qui instrui hac in re cupit, ut addiscendi desiderium, non ut pronunciandi cupido, à Magistris in hac Scientia, benevolo ut spero, spectabitur oculo.

Plantæ hujus radix præcipue venenatam indolem habere dicitur; uti hæc in *Actis Physico-Medi. Acad. N. C. Vol. X.* confirmantur, & ILLUSTRISSIMUS L. B. à STÖRCK, qui plura de hujus plantæ viribus erudito orbi communicavit, propria experientia convictus est.

est. Diversa varii circa hanc plantam proba-  
runt, ut videre est in *Mat. Med. Cel. de*  
CRANZ à p. 58. ad 61. SPIELMANN. à pag.  
508. ad 512. tum in *dissertatione de Venenis*  
*Germaniæ & Sveciæ à Cel. GMELIN Profess.*  
*Tubingensi*, ubi egregie, & copiose circa hanc  
plantam differit.

PEUCEDANUM OFFICINALE: foliis  
quinquies tripartitis, filiformibus, linearibus.

Peucedanum minus *Bauh. pin. 149.*

Radix plantæ hujus, quæ officinalis est,  
expectorat, mucilaginem tartaream bilemque  
educit, urinam ciet, calculosis prodesse credi-  
tur. SCHRÖDER. DALE.

CRITHMUM MARITIMUM: foliis lan-  
ceolatis, carnosis. *Mant. 353.*

Siccata folia ad acetaria, & varios cibos  
dantur; recentia autem narcotico, & stupefa-  
cienti odore mox Lipothymiam, Vertiginem,  
& Vomitus producunt. ZÜCKERT. *Mat. Ali-*  
*ment. p. 204.*

ANGELICA ARCHANGELICA: foliorum  
impari lobato. *Oed. Dan. 206.*

Totum genus, quod quinque huc usque  
cognitas species sub se continet, suspectum  
est; & species inter se quo ad venenatam indo-  
lem gradu tantum differunt.

Planta, de qua hic fermo, acris, amara,  
fragrans, aromatica, calida, sudorifera, car-  
minativa, emenagoga &c. à LINNE.

88 PENTANDRIA DIGYNIA.

Humores potenter attenuat, solida stimulat; in affectibus frigidis, & mucosis non male adhibetur; ad morbos malignos, olim admodum fuit commendata; masticatorio quoque scopo recipitur. SPIELMANNUS.

Radix, herba, semen, officinalia sunt.

ANGELICA SYLVESTRIS: foliis æqualibus, ovato-lanceolatis, ferratis.

Qualitas, & vires similes præcedenti, ast debiliores à LINNÉ.

Hanc præ hortensi duplo plus resinæ largiri, & eminentiore odore, & sapore gaudere, LINNÆUM observasse, refert SPIELMANNUS

ANGELICA ATROPURPUREA: extimo foliorum pari coadunato; folio terminali petiolato. *Mant.* 354.

Atropurpuream LINNÆI Angelicam, Canada oriundam, indomabile esse venenum, quod vel præstantissima antidota eludat, autoptam esse KALM refert. *Cel. de CRANTZ. Onom. Botan.*

SIUM LATIFOLIUM: foliis pinnatis; umbella terminali. *Oed. dan.* 246. (*Exclusa varietate β.*)

Sicuti ante medium æstatis radix plantæ hujus collecta innocua est, ita infelices sequuntur effectus, si eadem in octobri effossa in cibum trahatur; saltem id observationes docent, quod æque animalia, ac infantes ab hujus usu furo-

PENTANDRIA DIGYNIA. 89

furore correpti, & nonnulli horum mortui fuere. Nihilominus herba hujus plantæ licet non exquisitum gratumque, innocuum saltem pabulum animalibus præbet. GMELIN.

OENANTHE FISTULOSA: stolonifera; foliis caulinis pinnatis, filiformibus, fistulosis. OENANTHE *aquatica triflora* Moris. *hist.* 3. p. 269. s. 9. t. 7. f. 8. *Involucrum universale nullum.*

A nullo animalium planta attingitur. Radix venenata est; succus inde expressus acris, nauseosus; tamen feli in vulnus femori inflictum injectus, nullam intulit noxam. Radix vero ipsa a cane comesta, hunc intra triduum occidit. Ab eadem radice septem supra triginta milites pessime adfecti, vomitorio salvati sunt, unico mortuo. In Corsica septemdecim itidem milites veneno hoc infecti; quorum alii animi deliquia, articulorum dolores, alii omnium membrorum immobilitatem insensibilitatemque experti, in vomitorio quoque salutem invenerunt.

Foliorum succus minus noxius videtur.  
*Onom. Botan.*

OENANTHE CROCATA: foliis omnibus multifidis, obtusis, subæqualibus. CAULIS *rufus*. FOLIA *alia pinnata, alia sed sæpius bipinnata*. FOLIOLA *cuneata, incisa, levia, lineata*. PEDUNCULI *angulati, striati*. INVO-

## 90 PENTANDRIA DIGYNIA.

LUCRUM *universale nullum. PETALA alba,*  
*inflexa, tamen acuta. ANTHERÆ fusca.*

Planta hæc etiam cum Cicutâ à Veteribus confusa fuit: qui, etiam plurimos nocivos effectus huic proprios, Cicutæ adscripserunt. Rem hanc egregie ampleque evincit STALPART VAN DER WIEL. *Observ. XLIII. & adnotatione in eandem*, ubi plures funestos plantæ hujus effectus videre est. Vires maxime venenatas hujus plantæ esse adeo, ut si degustetur, mortem illico hominibus convellendo inferat, Boerhaavius asserit. RAJUS *Synops 210. hist. plant. 257. ait.* Quin venenosæ, & malignæ sint hujus plantæ radices, nullus jam relinquitur dubitandi locus. Radix, vel folia comesta furores, capillorum defluvium, imo ipsam mortem infert. *Onom. Botan.* Hinc jure JONSONUS *apud Gerardum* inexcusabilem quorundam nostris temporibus ignorantiam appellat, qui radices hujus, Pæoniæ radicem loco, vendunt; quin imo sibi compertum esse affirmat, mulierculas rhizotomas radices hæc sub nomine Levistici aquatici vendere. DALE.

PHELLANDRIUM AQUATICUM: foliorum ramificationibus divaricatis.

Herba, & semen passim in officinis Pharmaceuticis occurrunt; externe ad discutiendos tumores inflammatorios, frigidos; imo in scirrhis cancerisque tumoribus plurimum valere; etiam Gangrænæ utile esse: BOERH. Interne emeticas vires

vires illi tribuit MONTI, teste DALE. Seminum interne exhibendorum in Abscessibus, Ulceribus, dosin drachmæ unius fecit HEISTERI filius *Acad. N. C. Vol. V.* quæ initio nimia est. *Cel. de CRANTZ.* Plura de viribus hujus plantæ, quæ in femine maxime resident, contra Febres intermittentes &c. videri possunt in *dissertatione particulari de hac planta ab ARTHURIO CONRADO ERNSTINGIO M. D. & Practico Brunsvicensi anno 1739.* edita. Phellandrium equis lethale, & Paraplegiam causare à LINNÉ' asserit; qui, idem bobus exquisitum pabulum censet. Ast per ulteriora instituta experimenta, & observationes patuit, mala hæc, quæ planta producere credebatur, a larva curculionis in caule ejus habitante potius ortum suum ducere. *Onom. Botan.* Et ipsemet *Illustris à LINNÉ' Amœn. Acad. 7. p. 430.* idem refert. Equos devorato *Curculione paraplegico*, qui ad radices Phellandri aquatici domicilium suum habet, interimi Paraplegia.

CICUTA VIROSA: umbellis oppositifoliis; petiolis marginatis, obtusis. *Mant. 351. Oed. Dan. 208.*

Acris, septica, tetra, fœtida planta, quæ officinis Cicutæ herbam largitur, narcoticam, hypnoticam, repellentem vim possidet; ut unanimibus omnium fere experimentis infamis habeatur: a qua pecudum Luem TORNOE, LINNÆUS vidit.

Her-

92 PENTANDRIA DIGYNIA.

Herbæ, & florum minus deleteria vis, quam radicis esse videtur: nam ex succo e foliis, & floribus expresso, in cuniculo ad semiunciam, & cane ad unciam dato, nullum effectum SPROEGEL *Exper.* 8. 9. e radicis succo, Vomitus, & Tremores, non mortem: *Exper.* 10.: & a pulvere radicis, salivæ viscidæ effluvium sequenti die in eodem cane: *Idem in Exper.* 11. vidit referente *Cel. de CRANTZ.* Noxios hujus plantæ effectus in hominibus æque ac animalibus observatos, plurimis exemplis *Cl. GUERIN p. 23.* & sequenti ex SPROEGEL, WEPFERO, BARONE DE BLITTERSTORPH, GOERITZIO, REIMANNO, ETLINGER, TREW &c. confirmat.

Vires quas in corpus humanum exerit deleterias, egregie omnino comprehendit his verbis NICANDER.

*Tu quoque signa male jam contemplare ci-  
cutæ*

*Hæc primo tentat caput & caligine densa  
Involvit mentes, oculi vertuntur in orbem.*

*Genua labant, quod si cupit ocyus ire, ca-  
ducum*

*Sustentant palmæ corpus; faucesque premun-  
tur*

*Obsessæ; & coli tenuis præcluditur isthmus  
Externi frigent artus.*

Licet



Licet vero adeo præfens fit hominibus venenum, animalia nonnulla absque ullo præjudicio hac planta vescuntur, ut LUCRETIUS *Lib. V.* habet.

*Quippe videre licet pinguescere sepe cicuta  
Barbigeras pecudes, hominique est acre venenum.*

Hujus radices contusas rustici, & alii contra dolores arthriticos externe applicant. *Gun. fl. Norv. 27.*

AETHUSA CYNAPIUM: foliis conformibus.

Planta toties cum Conio maculato, Cicuta virosa, Apio petroselino confusa; ad quarum plantarum ultimam præcipue ante florentiam accedit, infausto errore hujus loco in usum sæpius ducta fuit. Quare ansam magna cum ratione dubitandi, Magnis Botanicis, TREW, & HALLER dedit; an non omnes hi casus, in quibus Conium maculatum loco Apii petroselini ingestum esse creditur, potius Aethusæ Cynapio adscribi deberent.

Radici plantæ hujus, & copiosior herbæ usus, plurimos infaustos effectus in corpus humanum exeruit, imo ipsam mortem non raro adtulit. Exempla rei hujus ex DALECHAMPPIO, JONSTONO, JUNGIO, RIVIER, MILLER, BLAIRE, & in *Dissert. de Venen. Alsat.* GUERIN videri possunt. Tum laudata *Dissert. Cl. Professoris GMELIN* consuli.

Nihil-

94 PENTANDRIA DIGYNIA.

Nihilominus tamen planta hæc absque noxa depalcitur. Imo HANNEMANNUS exemplum habet, ubi integra familia planta hac absque ullo sanitatis detrimento usa fuit. De rei hujus veritate dubitat QUERIN: & *Illustriss.* HALLERUS parvam admodum quantitatem comestam, ut causam nullius in hoc casu nocumenti adfruit.

In aliquibus Hungariæ locis planta in magno usu est contra Calculum; a nonnullis vero Medicis loco Conii maculati adhibetur, sed minori cum successu. GMELIN.

CORIANDRUM SATIVUM: fructibus globosis.

Planta, cujus semina in officinas recipiuntur, tetra, foetida, suspecta, vi hypnotica, carminativa, lactifuga gaudet. à LINNE.

Neutiquam quid venenati his seminibus inesse, ut NICANDER, & DIOSCORIDES finxerunt, HIPPOCRATES jam perspexit; qui illud ventriculo gratum esse asserit. Ad morbos pectoris, hepatis, & uteri, nec non ad ructus acidos commendat *Cel. de* CRANTZ. SPIELMANN.

Nihilominus in numerum plantarum venenatarum Coriandrum quoque reposui, ob graveolentem, & narcoticum odorem, quem MATTHIOLUS ipse notat. *Cap. LXII. Comm. in Diosc.* Tota planta graviter spirat cimum odorem, & semen siccum exuta graveolentia odoratum evadit, & ad multum utile; imo omnes  
 hos

PENTANDRIA DIGYNIA. 95

hos effectus ab Hippocrate recensitos præstare poterit. Non mirum vero est semina sicca virulentiam si quam habent perdere potuisse; cum nec Gratiolæ exsiccata radix vomitus cieat; & plurium aliarum plantarum virulentia, si præcipue in volatili earum parte maxime residebat, multum exsiccatione mitigetur.

CORIANDRUM TESTICULATUM: fructibus didymis.

Odor Coriandro fativo virosior. à LINNÆO  
*Spec. plant.*

Coriandrum testiculatum copiose in agris Italiæ provenit, & teterrimo odore prætereuntium capita tentat; qui odor dum pluvia ingruit, vehementior evadens, ad vicinas terras defertur, tanquam cælestis injuriæ præfagus. *Amœn. Acad.* Atque hæc forte planta erit, cui antiquitas adeo deleterias vires adscripsit, ut videre est apud SIMEONEM Seti, *Magistrum Antiochiæ de Coriandro Syntagm. de Cibariorum facultate p. 123.* „ Plurimus quidem hujus, & sine modo usus, amentiam facit; & ipsius succus, si potetur, venenum est, & perimit, hi namque amittunt vocem, & desipiunt. „ Et P. de ABBA-  
„ *no. l. c. Cap. 23.* „ cui succus Coriandri datur, „ patietur quasi destructionem intellectus, ac „ si ebrius videatur, & tandem moritur stupide. „ Quamvis vero adeo vehementes, & deleterii hi effectus, forte alicui alteri potius  
ma-

96 PENTANDRIA DIGYNIA.

magis venenatæ, cum hac ab Antiquis confusæ plantæ, adscribi possent; nihilominus tamen planta hæc, ob gravem foetentemque odorem, caput tentantem, suspecta semper manebit.

SCANDIX CEREFOLIUM: feminibus nitidis, ovato-subulatis; umbellis sessilibus, lateralibus.

Folia, & semen plantæ hujus in usum Medicum trahuntur; hæc diureticis, emenagogis, somnum leniter inducentibus viribus gaudere asserit DALE.

CHÆROPHYLLUM SYLVESTRE: caule lævi, striato; geniculis tumidiusculis.

Americans, subfoetida planta, Cicutariæ herba in officinis dicta; quam subvenenatam esse, à LINNÉ credit. Radices plantæ hujus in hyeme collectæ, Amentiam, Somnum profundum, Furores, Strangulationem prodixerunt. GUERIN. p. 22. refert Joh. BAUHINUM ab esu radicum duas familias Suffocatione, Torpore, ac Insania correptas vidisse. HELD. ab HAGELSHEIM *Miscell. Vratisl.* varia exempla hominum inde delirantium adducit. Nihilominus nullum exemplum prostat inde secucutæ mortis. Eadem radix, quæ tam noxios effectus in corpore humano producit, bobus etiam in Sibiria lethale est venenum. Flores plantæ, ex quibus aliquid mellis apes colligunt, pro viridi, & flavo colore parando inservire possunt. *Cl. Gmelin.*

Qui

PENTANDRIA DIGYNIA. 97

Qui etiam refert decoctum vinosum herbæ a nonnullis Medicis ad promovenda menstrua exhibitum fuisse; quod Medicamentum *Joan. BAUHIN* multum dissuadet. In Hollandia intrat hæc herba cataplasma commune, quod in Gangræna adhibetur.

**CHÆROPHYLLUM BULBOSUM**: caule lævi, geniculis tumido, basi hirtò.

Radices plantæ hujus, quæ hic Viennæ tempore quadragesimæ cum oleo coctæ adduntur Jusculis; coctæ, vel crudæ acetariis; Vertigines, gravedinem doloresque capitis causare propria experientia testatur **CLUSIUS**.

**CHÆROPHYLLUM TEMULUM**: caule scabro; geniculis tumidis.

Suspectum plantæ hujus triviale ab *Illustr. à LINNÉ* plantæ appositum, ejus virulentiam designat; ut licet exempla de vi ejus temulentiam inducendi me lateant, magni hujus Viri auctoritate, plantam hanc venenatis adnumerare non dubitavi.

**IMPERATORIA OSTRUTHIUM**: cum unica hæc species generis sit, hinc characteres genericos apponere censui.

**FRUCTUS** subrotundus, compressus, medio gibbus, margine cinctus. *Petala* inflexa, marginata.

Radices habet aliquot pollices longas, compressas, rugosas, transversim quasi in articulos distinctas, extus cinereas, intus albas,

G

sapo-

sapore aromatico, acri, amaro; odore proprio, ad Angelicam accedente instructas. SPIELMANNUS. Vires calidissimæ, diureticiæ, sudoriferæ, in morbis frigidis, ut Leucophlegmatia, suppressis menstruis, Hydrops incipiente, multum incidentes, etiam in Paralyfi stimulant *Cel. de CRANTZ*. Humores valide resolvit, solida quoque stimulat; in Colicis, & flatibus divinum remedium; nec sine successu adhibetur in pectoris affectibus pituitosis, nec non in morbis, qui ab obstructis visceribus abdominalibus surgunt. Radix masticata suffocationem uterinam avertit: FORESTUS. Ulceribus inspersa sordes eorum abstergit: SPIELMANNUS, à LINNÉ. In Serpigine, sterilitate, Tertianâ laudat *Cel. de CRANTZ*. Radicem in Paralyfi linguæ ore volutam prodesse asserit: est enim apophlegmatizans.

SESELI TURBITH: involucro universali monophyllo; feminibus striatis, villosis, stigmatatis.

Radix plantæ hujus alias officinalis erat; cujus succus superne inferneque cum violentia purgat; adeoque intra corpus exhiberi non debet. DALE.

THAPSIA ASCLEPIUM: foliis digitatis; foliolis bipinnatis, fetaceo-multifidis.

Radix plantæ hujus officinalis olim, longa, acris, foris nigra, intus candida; quæ æque ac ejus succus, aut decoctum, superne inferneque

PENTANDRIA DIGYNIA. 99

neque cum violentia purgat; hinc intra corpus exhiberi non debet. *RAJ. hist. p. 418.* Perperam itaque ab impostoribus in Hispania pro Turbith vendebatur, ejusque radicem magno Reipublicæ detrimento MESUES Turbith nigrum appellat, quæ ab eo ad humores tenues evacuandos usurpabatur. *hist. Oxon.* Vetulæ Salmaticenses hujus radice ad provocandos menses aliasque dejectiones promovendas utebantur, teste *CLUSIO, DALE.*

ANETHUM GRAVEOLENS: fructibus compressis.

Tetra, foetida, hypnotica, lactifuga, carminativa planta, à *LINNEÉ.* Herbam olim ad condiendos cibos recipiebant. Semen *HIPPOCRATES* ad morbos pectoris maxime adhibuit; in cohibendo singultu a *DIOSCORIDE* commendatur; & egregias inde vires vidit *FORESTUS*; non raro illius carboni injecti fumum Odontalgia laborantes ore hauriunt. Hæc *SPIELMANNUS*, & *Cel. de CRANTZ.* Genituram restinguere jam *DIOSCORIDES* prodidit; cujus rei in *Ephem. N. C.* confirmatio habetur. Tetro suo odore plantam fomnum inducere; hinc Anethum temporibus morbo febrili correptorum, & fomno privatorum applicari suevit in *Antœn. Acad. Dissert. de Odore Medicament.* habetur. Oleum coctum ex herba *GALENUM* ad conciliandum fomnum præscripsisse, *SPIELMANNUS* affirmat. Externe contusum

100 PENTANDRIADIGYNIA.

tufum ad Tumores frigidos valet, coctum etiam in enemate carminativo *Cel. de CRANTZ.*

**APIUM GRAVEOLENS:** foliis caulinis, cuneiformibus.

Planta hæc subtetra, fufpecta, Apii radicem, herbam, femina officinis largitur; vis ejus carminativa, pellens, fudorifera, diuretica, emenagoga &c. nota eft à LINNÉ.

Radix in menfis non adhibetur, utpote jam veterum testimoniis fufpecta; quæ cultura manfuefa evadit. *Cel. de CRANTZ.* Radices hæc notante Hippocrate obftructionibus medentur. Calculum inde folvi LOBB vidit. **PLINII**, & **TRALLIANI** *Commenta* de Apio, oculis, & illis, qui morbo comitiali laborant, noxio, experientia non confirmavit. Folia, & fuccum inde expreffum, quidam ad Ulcera mundanda laudant. **SPIELMANNUS.**

TRIGYNIA.

**R**HUS VERNIX: foliis pinnatis, integerrimis, annuis, opacis; petiolo integro, æquali.

Planta hæc omnium Auctorum confenfu ex omnibus hujus generis fpeciebus maxime venenata, fucco albo, flavescente, odoris ingratiſſimi ſcatet; qui fauciatis, vel abciſſis ramis exſtillat, unde Japonenſes vernicem conficere ſolent. Ut ut vero arbor hæc, præcipue calidis æſtatis diebus, ſuis evaporationibus, fucco, & aliis



aliis partibus, plurimis hominibus, ob ipsum tantum externum adtactum noxia est, excitando oculorum pruritus, parvas urentes in corpore pustulas, dolorificos, Tumores faciei, manuum, & sæpe integri corporis; &c. nihilominus tamen sunt nonnulli, quibus arborem hanc manibus contrectare, excorticare, lignum inter digitos terere, succo inungi, impune licet. *Onom. Botan.*

**RHUS RADICANS:** foliis ternatis; foliolis petiolatis, ovatis, nudis, integerrimis; caule radicante. *Dioicum.*

Inter alias species JOSEPHO MONTIO in *Bononiensis scientiarum & artium instituti Tom. III.* quod ne Altori quidem parceret optimo, infame merito declaratum fuit. Mirum venenum planta habet; rudius contrectata, affricata corporis parti, pustulas nigras cum inflammatione, pruritu excitat, brevi per totum corpus diffusas; lac magis venenatum est; lædit & ipse halitus: remedium malo nondum inventum; nata in pustulis, & maculis suppuratio auxilio fuit: ad dolores leniendos, decocto foliorum Malvæ, cum Sambuci extremitatibus, utiliter usus MONTIUS, referente *Cel. de CRANTZ.*

**RHUS TOXICODENDRON:** foliis ternatis; foliolis petiolatis, angulatis, pubescentibus; caule radicante. *Dioicum.*

Arborem hanc in ipsa ejus definitione venenatam pronuntiavit RAJUS. Succus ejus in

102 PENTANDRIA TRIGYNIA.

nonnullorum corpus nullas exerit vires; cum aliorum cutim adeo afficiat, ut desquamari debeat. Idem succus in vulnus canis, vel gallinæ immixtus, aut cum carne illis exhibitus, nil præter leves Spasmos Contractionesque produxit. *Onom. Botan.*

VIBURNUM LANTANA: foliis cordatis, ferratis, venosis, subtus tomentosus.

Cortex plantæ hujus exterior cuti applicatus, Cantharidum more vesicas trahere dicitur.

VIBURNUM OPULUS: foliis lobatis, petiolatis, glandulosus.

Plantæ hujus baccaë rubicundæ devorataë, Vomitum excitant LOESSELIUS *flor. Prus. p. 244. Erhard. 4. Band S. 31. ZÜCKERT.* Ideo monet *Idem* Auctor, ne confundantur cum baccis Sambuci nigræ.

CASSINE PERAGUA: foliis petiolatis, ferratis, ellipticis acutiusculis; ramulis ancipitibus. *Mant. 220.*

Cassine foliis ovato-lanceolatis, ferratis; floribus corymbosis, axillaribus. *Mill. ic. 23. f. 1.* Cassine veræ perquam similis arbuscula, foliis antagonisticis. *Pluck Mat. 46.*

Folia hujus plantæ officinalia sunt; vi vomitoria, purgante, sudorifera, prædita: a LINNÆ. DALE. qui in Diabete medicamentum hoc specificum haberi asserit.

SAMBUCUS EBULUS: cymis tripartitis; stipulis foliaceis; caule herbaceo.

Omnis

PENTANDRIA TRIGYNIA. 103

Omnis fere plantæ hujus pars in officinis affervatur: radix, cortex interior, folia, flores, baccæ, semina. Cortex aquosos, & serofos humores per alvum educit; reliquarum partium vires cum Sambuco nigra, de qua infra, conveniunt: à LINNÉ. DALE.

Ut vehementius purgans hydragogum radix hujus herbæ, jam apud Antiquiores usurpata fuit, & quidem in infuso ad drachmam unam cum dimidia: sed de effectu ejus vehementiori justo sunt conquesti; quæ tamen vehementia forte deriyanda erit ex ignorantia doseos. Quidquid sit, id certum est, Ebulum in defuetudinem abiisse, in locum ejus succedente inter alia cortice mediano Sambuci nigræ (Cujus præterea Roob sudoriferum nunc fere unice obtinet) ut quanta jam sit nigræ hujus gloria, tantum de Ebulo silentium. Unica tantum Helvetia Roob ex Ebulo non servavit tantum, sed & alteri, ex Sambuco nigra longe præfert. *Amœn. Acad.* 7. p. 304.

SAMBUCUS NIGRA: Cymis quinque partitis; caule arboreo. *Oed. Dan.* 545.

Acris, tetra, foetida, nauseosa planta; corticem interiorem, folia, flores, baccas, semina officinis largitur. Integra planta narcotica, anodyna, pellens alvum, sudorem, urinam, menstrua, lac, à LINNÉ.

*Cortex* ejus educit serofos præcipue humores; *Folia*, & *Gemmæ* alvum movent. *Flores*

## 104 PENTANDRIA TRIGYNIA.

discutiunt, fudoriferi, ac anodynii sunt. *Bacca* fudoriferæ, itidem ac alexipharmacæ. *Semina* ut cortex alvum movent. *Thuriones*, *Gemma* foliorum nondum evolutæ, vim habent emeticam.

**SAMBUCUS RACEMOSA:** racemis compositis, ovatis; caule arboreo.

Folia olim in usu Medico erant. Planta ipsa frigida, & soporifera est; & cum *Belladonna* viribus convenit. **DALE.**

## TETRAGYNIA.

**PARNASSIA PALASTRIS:** *Oed. Dan. 584.*  
*Scapum non nihil contorquet.*

Radix, herba, semen, olim in Medicum usum trahebantur; succus foliorum, & decoctum radicis probatissima sunt oculorum medicamenta; semen vehementius urinam pellit, alvum, vomitionesque sistit. **DIOSCOR. DALE.**

## PENTAGYNIA.

**LINUM USITATISSIMUM:** calycibus capsulisque mucronatis; petalis crenatis; foliis lanceolatis, alternis; caule subfolitario.

Suspectam plantæ indolem sequens observatio *Cl. RITTER Acad. N. C. Vol. 10.* abunde monstrat; quod linum in aqua, ut fieri solet, macera-

PENTANDRA PENTAGYNIA. 105

ceratum, odorem, & saporem habeat piscibus lethalem, hominibus gravem. *Cel. de CRANTZ.*

HIPPOCRATES Lini semen tanquam cibum assumi monet; ast vidit TRAGUS Zeylandiæ incolas inde cachecticos evasisse: SPIELMANNUS. Usus ejus œconomicus notissimus.

LINUM CATHARTICUM: foliis oppositis, ovato-lanceolatis; caule dichotomo; corollis acutis.

*Flores ante anthesin penduli.*

Herba officinis recepta amara, nauseosa, purgans. à LINNÉ. DALE.

Siccata herba ad drachmas duas in aqua infusa, egregie absque incommodo purgat; vino autem infusa valentius; & majori dosi, etiam Vomitus excitat. Plurimis in morbis, ut & in Calculo, Nephritide atque Hydrope incipiente obtinet: pulvis ad drachmam unam, una vero cum parum Anisi, vel Cremoris tartari promptius, & lenius agere perhibetur. *Amœn. Acad. 7. p. 300.*

DROSERÀ ROTUNDIFOLIA: scapis radicatis; foliis orbiculatis.

Tribus Paracelsitica hanc plantam maximi fecit; cum humorem, qui ex ejus folliculis semper exsudat, pro rore habuerint, & nescio quas vires astrales illi inesse somniaverint: Phthisicis eam maxime commendarunt: SPIELMANNUS, DODONÆUS, & C. BARTHOLINUS testantur recentem, cutem in vesiculas elevare. DALE de viribus hujus plantæ, inquit,

## 106 PENTANDRIA PENTAGYNIA.

inter Botanicos non convenire; alios tamen nec sine ratione, quoniam caustica est, usum ejus internum vetare. Viscus foliorum, Serpiginini, & Ophthalmiæ tempore verno, inungitur. *Amæn. Acad. 7. p. 491.* GUERIN *loc. cit.* refert maculam plantæ huic a CORDO, DODONÆO, BORRICHIO affricatam, SIEGESBECKIUM egregie absterfisse.

Plantam hanc pabulum emortuale ovibus esse, BORRICHIVS asseverat; noxia vero planta hæc ovibus esse dicitur, ob certam vermium speciem radici ejus adhærentium. Folia sicca tingunt liquores, quibus infunduntur colore flammeo. *Onom. Botan.*

## HEXANDRIA

### MONOGYNIA.

**L**EUCOJUM VERNUM: spatha uniflora; stylo clavato.

Internæ assumpta radix Vomitus excitat VALENTINI testimonio; externe emollit, discutit.

Flores vero incocti olim in Pleuritide applicabantur. *Onom. Botan.*

NARCISSUS PSEUDO-NARCISSUS spatha uniflora; nectario campanulato, erecto crispo, æquante petala ovata.

Radix hujus officinalis cocta, sive estur, sive bibitur, vomitoria est. *DIOSC. DALE.*  
Un-

HEXANDRIA MONOGYNIA. 107

Uncia femis radicis hujus assumta etiam alvum  
 movere creditur. *Onom. Botan. MORISON  
 hist. Oxon. part. 2. p. 369.* Hæc in gene-  
 re de Narcyffis habet: „ Narcyffi cujusque  
 „ generis radicem præmansam vomitum ciere  
 „ CLUSIUS sæpenumero expertus est, quod  
 „ nobis etiam compertum, dum serva cujus-  
 „ dam amici forum olitorium petens porracea  
 „ folia sibi comparare voluit, quibus incuria,  
 „ an data opera hortulani ejusve servi secantis  
 „ multa Narcyffi vulgaris folia immista, quæ  
 „ secta & indiscriminatim ollæ indita omnes  
 „ quotquot totius familiæ comedere de hoc  
 „ jusculento cum foliis narciffi, vomitu vehe-  
 „ menti correpti, me accersendum curarunt,  
 „ atque statim causam universalis hujus vom-  
 „ tionis investigans, quædam folia Narcyffi  
 „ sylvestris, inter porracea folia in canistro,  
 „ quo prædicta folia ex foro detulerat serva,  
 „ adhuc restantia & immista porraceis foliis  
 „ observavi, quæ causa fuere universalis hu-  
 „ jus vomitus per totam familiam.

NARCISSUS TAZETTA: spata multiflo-  
 ra; nectario campanulato, plicato, truncato,  
 triplo brevior petalis; foliis planis.

Radix etiam officinis recepta fuit, viribus  
 cum præcedente æqualibus. DALE.

PANCRATIUM MARITIMUM: spata  
 multiflora; petalis planis; foliis lingulatis. PE-  
 TALA lanceolata subtus linea viridi: exteriora  
 tria

*tria apice introrsum uncinnata.* NECTARIUM *angulis bipartitis acuminatis, longitudine filamentorum, & divaricatis ad latitudinem petalorum. Germina media umbella sessilia.* STYLUS *declinatus.* FILAMENTA *inflexa.*

Cum genus hoc quam maxime ad Narcissorum familiam accedat, à MORISSONO iis adnumeratum fuit; & dum in genere de viribus Narcissorum ageret, illud necessario etiam comprehendere debuit. CLUSIUS *hist. 1. p. 167.* radicem æque ac integram plantam succo viscido scatere refert. Maxima igitur hujus generis cum Narcissorum familia adfinitas, succus, quo planta scatet, nectaria à petalis distincta, plantam hanc suspectam esse denotant: & à LINNÉ eandem venenatis adnumerare non dubitavit.

CRINUM LATIFOLIUM: foliis ovato-lanceolatis, acuminatis, sessilibus, planis.

Licet in plurimis Auctoribus, quos pervolvi, præter Botanicam descriptionem, de viribus plantæ nihil invenire potuerim; nihilominus, cum ad præcedentes maxime accedat, *Illustriss.* à LINNÉ secutus, eam illis adnumerare placuit: cum qua si nihil hucusque tentatum fuerit, saltem imposterum, ab iis, quibus planta hæc in promptu erit, plura cum eadem institui poterunt.

AMA-T



AMARYLLIS CAPENSIS : spatha uniflora, remotissima; corolla æquali; staminibus pistilloque rectis. *Macula nigricans ad unguis petalorum.* *Burm.*

Ob maximam cum præcedentibus affinitatem, forte etiam ob notos, mihi incognitos, ejus effectus, à LINNÆO inter suspectas Hæxandriæ radices reposuit. Si itaque tanti Viri auctoritati innixus, plantam hanc hic reposuero, quin de ejus viribus aliquid adducere valeam, spero me facile veniam obtenturum ab omnibus, qui auctoritatem Viri hujus, cum integro erudito orbe ex æquo æstimare norunt.

ALLIUM SATIVUM : caule planifolio, bulbifero; bulbo composito; staminibus tricuspidatis.

Integrum hoc genus, graveolens, acre, subcausticum plus minus. Ob evidentem quæ pollet acrimoniam, vix nutrientes poterit edere vires: penetrabilissimum esse, ex ulcere olens, KERKRINGIUS, PAULIN observarunt: *Cel. de CRANTZ.* BLAIR observavit, plantis pedum applicatum, animam olidam reddidisse. BENNET autem quarta a comestione hora fonticulos inde fuisse vellicatos asserit: teste SPIELMANNO. Plures hujus generis species, officinæ passim recipiunt. Allium Porrum, Victorialis, sativum, Cæpa à LINNÆO numerantur. Spielmannus his addit Scorodoprasum Ascalonicum. Usus Allii, ad mucum pulmones

## 110 HEXANDRIA MONOGYNIA.

nes obsidentem, jam HIPPOCRATI celebratur: in Colica à muco, in Hydrope, SPIELMANNUS: urinam solvere, calculosis prodesse; antheiminticum, in hysterica passione naribus suppositum excitans; in Podagra, Scorbuto, &c. profuisse *Cel. de CRANTZ*, SPIELMANNUS, plurimorum Auctorum testimonio probant.

Radices hæ, quæ ob alkali volatile præfens, acres sunt, & nimia quantitate teste à LINNÉ' sæpe corrosivæ; affatæ, vel coctæ, maximam acredinis partem amittunt, & esculentæ evadunt.

LILIUM BULBIFERUM: foliis sparsis; corollis campanulatis, erectis, intus scabris.

Radix plantæ hujus, quæ æque ac folia, in officinis asservabantur, pota, aut cum melle, & lana in pefso apposita, aquam educit, & sanguinem: folia trita mammaram inflammationes a partu contractas oculorumque collectiones mitigat.

Radix, & folia igne ambustis utilissime iliniuntur: MATTHIOLUS. *Comm. in Lib. 3. Diosc.* Radicem hanc aperientem esse testatur MONTI. DALE.

FRITILLARIA IMPERIALIS: racemo comofo, inferne nudo; foliis integerrimis.

Planta circa annum 1570. Constantinopoli in Europam venit à LINNÉ'. Venenata vi Cicutæ par; succo acri, mordaci, exulcerante gangrænosum. WEPFERI observatione, &

CA.

HEXANDRIA MONOGYNIA. III

CAMERARII experimento infamis habetur.

*Cel. de CRANTZ.*

Mel, quod apes ex plantæ hujus nectariis colligunt, noxium est. *Onom. Botan.*

In officinis planta sub nomine Coronæ imperialis venit.

GLORIOSA SUPERBA: foliis cirrhiferis.

*Mant. 364.*

Radix plantæ hujus carnosa, albicans, nauseose amara. *Onom. Botan.* vel exinde jam suspecta; hinc jure à LINNÆO, his adnumeratur.

GLORIOSA SIMPLEX: foliis acuminatis.

*Mant. 62.*

Secunda, & ultima hujus generis hucusque nota species, ob folia, forti, & ingrato odore prædita, hic quoque seponi cum fundamento potest.

SCILLA MARITIMA: nudiflora; bracteis refractis.

SQUILLA, SCILLA est radix plantæ hujus in officinis celebratissima, bulbosa; quæ non raro ad aliquod pugnorum magnitudinem accedit; ex basi angustiore, rotunda, fibrillas emittit; mox in corpus amplum, & ventricosum distenditur; quod in formam conoideam contrahitur; & ex apice primum flores, & deinde folia emittit; aliquot strata cuticulæ sicca, arida, rubra, tegunt bulbis squammas albas, levi rubore suffusas; sapore exquisite amaro  
in-

instructas; in meditullio multo minorem amaritiam habentes. Varietatem radice alba, quædam officinæ affervant.

Ad vetustissima medicamenta, quæ habemus, pertinent; de ejus viribus volumen condidisse PITHAGORAM testatur PLINIUS: catos, & cuniculos inde periisse vidit Cl. HILFELD, SPIELMANN.

Scillæ bulbus igitur acris admodum, & corrosivus; recens viscidos humores potenter incidit, & solida exstimulat, à LINNÉ, DALE.

Ab omni tempore a vi resolvente laudabatur; & à Veteribus, ac Recentioribus æque ad urinam pellendam, & Hydropem curandam commendata fuit. In Asthmate egregias ejus vires, in Nephritide calculosa, & pituitosa viderunt multi; quorum *Cel. de CRANTZ*, SPIELMANNUS plures adducunt.

Infusum ejus vinosum, ni aliis corrigatur, vomendi conatus excitat. Cæterum acre, & penetrans remedium, sæpe in toto corpore sævos dolores ciet; imo & mobiles in convulsiones agit; ventriculi vires dejicit, sanguinem solvit. *Cel. de CRANTZ*.

ASPHODELUS LUTEUS: caule folioso; foliis triquetris striatis. *Jacq. Hort. t. 77. Bractæ Membranaceæ, albæ, majusculæ.*

Radices plantæ hujus olim à Medicis ut diureticæ, & emenagogæ laudatæ fuerê; externe vero ad Vulnera, & Tumores adhibitæ.

Ra-

Radices æque, ut & femina tosta, possunt in  
annonæ caritate ad panem conficiendum usu ve-  
nire. *Onom. Botan.*

**ASPHODELUS RAMOSUS:** caule nudo;  
foliis ensiformibus, carinatis, lævibus.

Asphodeli hujus radix, quæ itidem olim  
officinalibus adnumerabatur plantis, ingrata,  
acris est; interne assumta Diuresim, menses,  
ut & præcedens movet; externe applicata  
emolliens, maturans est. **DALE.**

Caules plantæ hujus sub cineribus assatos,  
radices vero, & femina, cum oleo, & sale,  
Antiqui in usum alimentarem ducebant. *Onom.*  
*Botan.*

**ANTHERICUM OSSIFRAGUM:** foliis en-  
siformibus; filamentis lanatis. *Oed. Dan.*

Cum planta hæc, quæ præcipue subhumi-  
da inhabitat loca, famosissima sit ob singulares  
illi adscriptas vires; quid à LINNÆ *Fl. Lapp.*  
p. 99. de hac sentiat, apponam.

„ Fidem *inquit* superat, quæ SIM. PAULI de  
„ plantæ hujus singularibus viribus promulga-  
„ vit, nempe quod si pecoribus pabulo inter-  
„ mixta detur hæc herba, ipsa eorum ossa in-  
„ de emolliantur ita, ut pedibus insistere  
„ nequeant.

„ In Provincia Sueciæ Smolandia inque  
„ Paræcia ejusdem Stenbrohultensi, à Norve-  
„ gia remotissima, copiosissime nascitur planta  
„ hæc adeo decantata, ubi tønellus adhuc in-

„ finita ex vulgo de hac planta cujus flores  
 „ splendidissimi toties in se convertebant ocu-  
 „ los meos, confabulante audivi, nec ullus  
 „ erat, qui non optime eandem agnosceret.

„ De eadem uno ore dicitur, quod sit  
 „ herba ovibus maxime noxia, quam si copio-  
 „ se edant, inde quidem citissime eas pingue-  
 „ scere, sed proxime in sequenti anno cum in  
 „ hepatibus istarum nascantur vermiculi, cer-  
 „ to perire. “ His enarratis concludit lau-  
 „ datus Auctor.

„ Quod neque ossa emolliantur, neque  
 „ vermiculi ex hac generentur, nulli non con-  
 „ stat, quid quid tamen sit, erit quidpiam,  
 „ quod vulgo imposuit, sive quod scirrhus in  
 „ hepate generet, sive quod tabem inducat,  
 „ ut incedere nequeant pecora, sive aliud  
 „ quid monstri, præsertim cum odor virosus  
 „ in planta existat manifestissimus. Ob quem  
 „ odorem plantam huc reposui.

ASPARAGUS OFFICINALIS: caule her-  
 baceo, tereti; foliis fetaceis; stipulis paribus.  
*Varietas*  $\beta$  *Mant.* 366.

Plurimum diuretica planta, ut inde urina  
 semper sæteat; cujus primus SIMON SETHI  
 meminit, teste SPIELMANNO. Ex turionum  
 liberaliori usu micum cruentum surrexisse asse-  
 rit SCHULTZ, referentibus *Cel. de CRANTZ.*  
 SPIELMANNO.

Ufus

Ufus culinaris notior, quam ut hic referri debeat; ob vires solventes radices ejus in numerum quinque radicum aperientium repositæ sunt; quibus, cum aliquid acris, aquæ in qua coquuntur communicent, vires aperientes denegare non vult SPIELMANNUS.

CONVALARIA MAJALIS: scapo nudo.

Planta fragrans, amara, acris, nauseosa, virofa, narcoticam, antispasmodicam, errhinam vim possidet: flores hujus sub nomine Lili convalii florum officinæ sibi vendicant. a LINNÉ: amarities, qua gaudent flores, iis acrimoniam quandam inesse testantur: inde vis purgans a SCHULTZIO observata, & errhina creberrime adnotata. SPIELMANNUS.

Flores, foliis Salviæ plerumque admistos, in pulvere nasali contra Coryzam adhibent *Nidrosienses. Amæn. Acad. 7. p. 491.*

HYACINTHUS NON SCRIPTUS: corollis campanulatis, sex partitis, apice revolutis.

Radix plantæ hujus ab Antiquis in usum Medicum trahebatur; hanc GALENUS alvum sistere, urinam pellere, potamque Regium morbum depurgare asserit. DALE. Venenatam cense-ri adnotat. *Onom. Botan.*

Hyacinthi vires ex DIOSCORIDE, GALENO, PLINIO, FUCHSIUS recenset in *Hist. Stirp. pag. 839.* Hyacinthi radix pueris cum vino albo illita, impuberes servare creditur, sistit alvum pota, urinam ducit, &

116 HEXANDRIA MONOGYNIA.

phalangiorum moribus auxiliatur: semen magis adstringit, & Cæliacis prodest; potum cum vino Regium morbum emendat. Hæc **DIOSCORIDES**. **GALENVS** radicem, quod impubertatem diutissime servandam adinet, morbumque Regium, omnimode cum **DIOSCORIDE** convenit. **PLINIUS** radicem Hyacinthi in vino dulci illitam, pubertatem coercere, torminibus, & araneorum moribus resistere, contra serpentes, & scorpiones semen ejus cum Abrotano dari perhibet.

**HYACINTHUS MUSCARI**: corollis ovatis, omnibus æqualibus. Planta ex Asia in Europam ante annum 1554. allata est.

Radix hujus in officinas recepta fuit; quæ mansa, aut ejus decoctum potum, vesicæ malis medebatur. Vomitiones etiam radix movet, teste **GALENO**, **DALE**.

**ALOE PERFOLIATA**: floribus corimbofis, cernuis, subcylindricis. Aloë foliis caulinis dentatis, amplexicaulibus, vaginantibus. Caulis sæpe radicans, licet erectus.

Aloë est succus inspissatus, niger, proprio, & nauseoso odore instructus, sapore gaudens amaro, cum aliqua acrimonia: pro varia puritate, varie denominatur; proprius, & propius ad rubedinem accedens, a Succotora, sive Socotora Insula, ad Arabiam felicem sita, nomen accepit; magis flavescens, hepatica dicitur.

car-

carb  
odo  
Alo  
apu  
quo  
face  
Ex  
pres  
vari  
tem  
diff  
est.  
coll  
liis  
vite  
subf  
ver  
fand  
ficc  
rit  
stia  
  
tio  
præ  
ticu  
Alo  
ger  
inca  
per  
in



carbonacea nigredine instructa, arida; minus odorata, Caballina vulgo appellatur. Has Aloës distinctiones Arabes invexerunt; cum apud Veteres duplex modo ejus genus, unum quod hepatis colorem habet, & alterum quod facem refert, occurrat; teste SPIELMANNO. Ex Aloës perfoliatæ LINN. foliis succus expressus inspissatur; pro varia ejus depuratione, varia etiam inspissandi ratione, variam puritatem induit; & ita eundem succum plurimum differentes Aloës species posse exhibere, evidens est. SPIELMANNUS. Methodus hunc succum colligendi a RAJO sequens describitur: ex foliis a radice avulsis, manu vel instrumento leviter compressis, succus stillat in vas recipiens; subsidere debent partes crassæ per noctem, aliæ vero supernatant; postero die in aliud vas effunditur, & solis radiis, ut concresecat, & efficcetur, exponitur, quo tempore fulvum acquirit colorem. Ex Insula Succotora in coriis bestiarum ad nos transportatur. DALE.

*Celeb. Professor* de JACQUIN in suis prælectionibus Botanicis sequentem methodum Aloëm præparandi refert. In furnos in sui medio craticulis ligneis instructos imponuntur abscissa Aloës folia, exponitur tunc Solis ardori integer apparatus pavimento nitido puro donatus, incalescentibus Solis ardore foliis, succus quasi per destillationem per descensum depluit, qui in pavimento colligitur, exhibetque Aloëm,

qualis in officinis prostat. Ex residuis foliis exprimendo acquiritur etiam succus, hic vocatur Aloë hepatica, estque priori multo ignobilior.

Ab Aloë ventrem duci, jam GALENUS docet; temperiei siccae noxiam esse *idem* adnotat. BORRICHIVS Mictum cruentum ab usu Aloës surrexisse vidit; fluxum Hæmorrhoidum maxime provocari MESUE, & FALLOPIUS observarunt; notum est quoque ut medicamentum anthelminticum. SPIELMANN.

Mirum corpus, absque multa resina tenacissimum, maximeque glutinosum, septimam sui partem vix resinofam habet; ad ignem paulo longius decoctum enervatur, & plane inefficax fit, ni dosis ejus intendatur: HOFFMANN *observat. Phisic. Chemic. Cel. de CRANTZ.*

„ Aquam ex planta hac destillant Ægyptii, „  
*inquit* FRID. HASSELQUIST. *Itin. in Palest. part. 2. pag. 502.* „ in Pharmacopæis  
 „ Cairinis venalem, ad tussim cohibendam ab  
 „ illis commendatam. Datur etiam aqua hy-  
 „ stericis & asthmaticis cum fructu. Quantum  
 „ valeat in ictero sine febre adhuc recenti,  
 „ ipse vidi. Dabat Chirurgus expertus Gal-  
 „ lus COPTO 40. annorum Icterico aquæ ex  
 „ Aloë destillatæ quatuor vascula Theæ de  
 „ die; qui intra quatrividuum sanatus est, re-  
 „ medio nostris Pharmacopæis hucusque igno-  
 „ ro. „

BER-

HEXANDRIA MONOGYNIA. 119

**BERBERIS VULGARIS:** pedunculis racemosis.

Cortex medius caulis amarus, ac flavus, vino albo infusus, egregie purgat, dosis etiamnum non rite determinata fit: cortex tamen ipse multum commendatus fuit in Leucorrhœa, morbisque aliis ex impuritate sanguinis. *Amœn. Acad. 7. p. 302.*

Foliorum decoctum in vacillatione dentium consulit HALLERUS; ex Fructibus in officinis paratur syrupus egregiarum virium.

Ufus œconomicus magnus hujus plantæ est. Radix bene purgata, atque cum tela, vel lana in aqua cocta, & aliquo tempore ibi relicta, pulchrum illis colorem flavum impertitur. Cortex ramorum ad coria SAFFIAN sic dicta tingenda usurpatur, Lignum a Lignifabris maxime expetitur.

Ex fructu spiritus fermentatione obtineri potest, & cum Aceto, vel Alumine color ruber parari. *Onom. Botan.*

TRIGYNIA.

**RUMEX PATIENTIA:** floribus hermaphroditis; valvulis integerrimis, unica granifera; foliis ovato-lanceolatis. *Folia* feminalia sagittata, ut Rumicis Acetosæ. *Caulis* sulcatus.

H 4

Radix

120 HEXANDRIA TRIGYNIA.

Radix longa, crassa, ramosa, foris ruffa, intus crocea, in officinis passim invenitur. In duplo assumta vim purgandi cum Rhabarbaro eandem habet. DALE.

RUMEX AQUATICUS: floribus hermaphroditis; valvulis integerrimis nudis; foliis cordatis, glabris, acutis.

Radix plantæ hujus in officinis sub nomine *Herbæ Britannicæ* venit, imo etiam tota planta usui olim erat: præter alias vires, vim venena, & serpentes abigendi possidet. MONTINGIUS veram, & genuinam DIOSCORIDIS *Britanicam* esse contendit. DALE. à LINNÉ in numerum corrosivaram reponit.

RUMEX ALPINUS: Floribus hermaphroditis, sterilibus fœmineisque; valvulis integerrimis, nudis; foliis cordatis, obtusis, rugosis. Lappathum floribus superioribus masculis, inferioribus fœmineis; foliis cordatis. Zinn. *guett. 38. Folia magnitudine Rhei rugosa.*

Radix plantæ hujus crassa, oblonga, foris fusca, intus intense flava, in officinis sub radicis Rhabarbari Monachorum nomine prostat; folia etiam à DALE inter officinalia recensentur.

Radix amaro-austera viribus cum Rhabarbaro undulato (nunc Rheo Rhabarbaro) convenit. DALE.

COLCHICUM AUTUMNALE: foliis planis, lanceolatis, erectis.

In-

HEXANDRIA TRIGYNIA. 121

Integra planta ut deleteria ab Antiquis jam temporibus cognita; cujus radix ab omnibus rei Medicæ scriptoribus summa inter venena semper reposita fuit: hæc succulenta, qualis in autumno fere tantum invenitur, acris admodum, adurens, deleteria est; quæ alio anni tempore, farinosa, vix aliquod acredinis vestigium in se continens observatur. Succulenta recens radix dum scinditur, spargit acres particulas, quæ nares, fauces, ac pectus feriunt, et irritant; apices digitorum, quibus radix secanda tenetur, sensim stupidi fiunt, & amittunt aliquamdiu debitam sentiendi facultatem.

ILLUSTR. L. B. DE STÖRCK. *Lib. de Colchico p. 25.* Venenata stirps, præfocat experimento L. B. VAN SWIETEN: hujus radicem ingestam fungorum more strangulando enecare DIOSCORIDES asserit; ab hac ad necem purgatus rusticus LUDOVICI. Puella ventris torminibus ab assumpto veneno tertia die rapta GARIDEL. *Cel. de CRANTZ.* ILLUSTR. L. B. DE STÖRCK, qui salutis proximorum sublevandæ intentus, ut propriæ sæpenumero oblitus fuerit; novum rei hujus documentum sui que erga publicum amoris, quod vix ulla monstrabit ætas, in hac etiam planta dedit; quam examini subjiciens, se suamque primo salutem periculo exposuit; omniaque phænomena in semetipso observata, candide in suo de hac planta libello descripsit. Plura experimen-

ta in variis desperatis etiam-casibus cum successu instituit; quibus *Cl. COLLIN. PLANCHON* & alia quoque addiderunt. Observationes plurimorum Auctorum, qui radices has intus datas funestos effectus produxisse asseruerunt, & observarunt, *Illustriss. HALLER* collegit.

Primus *GOERIZ* virtutes radices hujus intus exhibitæ, ad morbos ab obstructis visceribus oriundos recensuit, teste *SPIELMANNO*.

*FOLIA* ad tingenda ova, aut contra pediculos boum adhiberi solent; si vel iis conquisitis cutis animalium inungatur, aut hæc cum foliorum decocto laventur. *Onom. Botan.* Animalia hæc non assument. *GUERIN* ex *ROST* recenset, servos a foliis Diarhoea cruenta *DIOSCORIDI* jam memorata periisse, & eorum ventriculum, & intestina Gangræna correpta fuisse.

Flores caustici urentes sunt; quibus Turcæ in vino infusis, ad stupiditatem inebriantur. *Cel. de CRANTZ*.

A feminibus mors post horrendos Vomitus à *PEYERO* observata: hoc gallinis quoque lethale in *Actis Acad. N. C. Vol. X.* notatur.

Radix rasata, lota, in pastam redacta, tum exsiccata, ac tandem in sufficientem aquæ quantitatem injecta, sedimentum relinquit; quod ficcatum, Amyli loco in usum trahi potest.

HEXANDRIA POLIGYNIA. 123

POLYGYNIA.

**A**LISMA PLANTAGO AQUATICA: foliis ovatis, acutis; fructibus obtuse trigonis. *Oed. Dan. 561.*

PLANTAGO in aquosis, & ad ripas fluviorum, lacuum habitat. Ex ipsa igitur localis notitia suspicio acredinis illico oritur, & revera planta acris est; ab ejus usu animalia trucidata scribunt nonnulli; à quibusdam pro vesicatorio in Hydrope laudata fuit. In infuso propinata ad calculosos morbos, ob egregios effectus, laudatur à *Magnifico de Haen Rat. Med. part. 4. p. 258.*

HEPTANDRIA

MONOGYNIA.

**A**ESCULUS HIPPO-CASTANUM: floribus heptandris.

Planta ex Asia in Europam anno 1550. adlata, à CLUSIO in Austria ante duo saecula plantata, fructum fert, non ab omni venenata indole liberum, utpote nervos olfactorios ita afficientem, ut Sternutatio promoveatur. DALE. Corticem ramorum ex experimentis D. PEIPER non tantum in Febribus putridis multum valere, sed etiam in aliis, viribus Cortici Peruviano convenire, compertum est. ZANICHELIIUS Italus, Cortici aemulas vires in  
Fe-

124. HEPTANDRIA MONOGYNIA.

Febribus intermittentibus domandis, in cortice Aesculi expertus est, licet non adeo securus. Spinofus fructus, cortex, in carbores combustus, ad pulchre nigre tingendum inservire potest. Fructus ficcatus, pulverifatus, dat pulverem sternutatorium vehementem. Farina fructus exhibet bonum pabulum equis præcipue in Tussi, & Orthopnoea, si consueto eorum pabulo misceatur. Maturus crudus fructus, cervis est gratum pabulum, & ad faginandos porcos adhibetur. *Onom. Botan.* Ex eodem fractu Amylum quoque exquisitum parari potest: ut *Cel. Hist. Nat. Profess. de Well* ipsemet levissimum, & albissimum experimenti gratia paravit, mihi que pro sua in me benevolentia, ut solet, id etiam communicare favit.

OCTANDRIA  
MONOGYNIA.

**D**APHNE MEZEREUM: floribus sessilibus, ternis, caulinis; foliis lanceolatis, deciduis, *Oed. Dan. 268.*

Planta hæc corticem æque, ac semina officinis largitur: utrumque sub diverso, nec proprio nomine, cortex, Laureolæ audit; semina, sub seminum Coccognidii nomine veniunt. Planta acris, septica, toxica, vim corrodentem, rubefacientem, excoriantem, stimulantem, pellentem, vomitoriam, cardialgicam,



gicam, febrilem possidet à LINNÉ. Pessimum hujus plantæ effectum TRAGUM vidisse, BUCHWALDUM in Dania observasse, Dodonæum eandem cruentam alvum causare reliquisse, refert *Cel. de CRANTZ. GUERIN. pag. 30. de Vegetab. venenat. Alsat.* ex WEDELIO Hydropticum per sex septimanas omnibus frustra adhibitis quotidie vomentem, ex HOFFMANNO a quatuor baccis lethalem fere Hypercatharin, & Hyperemesin, &c. adducit.

Petrus de ABBANO *Cap. 32.* „ Cui succus Mezereon datus fuerit in potu, patietur fluxum ventris, & sitim, & anxietatem, & excoriationem intestinorum. “ Et *cap 47.* „ Cui in potu data fuerint grana Coccognidii, patietur vomitum, & fluxum ventris, & tribulationem in stomacho. “ Nihilominus tamen planta, quam ob acredinem summam apes ipsæ evitant, tam in usum Medicum, quam hinc inde in vita communi cum fructu adhibetur. Radice Medici olim fetacei loco utebantur in morbis oculorum præcipue; quæ, perforata auri externa, traducebatur. Nonnulli decocto abluere solent cancrofos Tumores. MATTHIOLUS à contusis recentibus foliis in Ischiatide ad locum dolentem applicatis, ubi vesicas traxerunt, optimos vidit effectus. HILL. unicum hoc esse remedium credit, à cuius externo usu nodorum podagricorum recentium

tium

tium resolutio expectari possit. Corticem externe contra Spasmos applicant Dalenses, & ex eodem baccisque unguentum in Ulceribus cacoethicis parant. GUNNER. *fl. Norv.* 18.

In usum internum quoque plantam hanc Medici trahere ausi sunt; ac imprimis masticationem foliorum ægris imperabant, scopo si- lagogo: corticis foliorum, feminum, tum seorsim, tum mixtorum, decocto ut Medicamento draastico, in Hydrope præcipue usi sunt. Plura videri possunt in *Dissert. Cl. GMELIN.* Baccæ acerrimæ sunt; sex numero lupum occidunt. Pictores his ad conficiendum rubrum colorem utuntur.

DAPHNE LAUREOLA: racemis axillari- bus quinquefloris; foliis lanceolatis, glabris. Racemi axillares, laterales, nutantes, bracteis concavis, alternis, absque floribus in suis alis. Flores quinque, terminales racemi, in umbellam congesti. Flores tristes, colore, odore, tempore.

Planta hæc dat officinis corticem sub nomine corticis Mezerei: acris, septica, toxica est; vi corrodente, rubefaciente, exco- riante, draastica, nota: à LINNÉ.

DAPHNE CNEORUM: floribus fascicula- tis, terminalibus, sessilibus; foliis lanceolatis, nudis, mucronatis. Thymelea minor seu Daphnoides alpinum. *Gesn. fasc. 5. t. 3. f. 6.*

Cor-

Corticem quoque planta hæc officinis tribuebat cum Daphne Laureolæ viribus convenientem. DALE.

**DAPHNE GNIDIUM**: Panicula terminali; foliis lineari-lanceolatis, acuminatis. Caulis humifusi. Folia annua glabra. Flores congesti, cincti foliis, suaveolentes, supra rubri. Bis quotannis florens.

Omnes harum Plantarum partes insigni gaudent acrimonia. **FRAGUS** hac planta impostores multos ad orci fauces misisse monet. **WEDELIUS** adducit hydropicum hypercatharsi inde correptum, & per sex continuas septimanas quotidie vomentem. A quatuor baccis comestis lethalem fere hypercatharsim, & hyperemesin vidit **I. M. HOFFMANNUS**, intolerabili oris, & faucium æstu stipatam, subsequente Febre acuta, & summo virium dispendio, & tandem cuticulæ à toto corpore secessu: à duodecim granis Virginem cum sanguine animam evomuisse à **LINNE** testatur: à baccis comestis ardorem in lingua ad stomachum usque, Vomitus cum Febre ardentissima, quæ presso pede subsequebatur, & tanto virium lapsu, ut mors in propinquo esse visa fuerit, *Acta Helvetica*: hæc **SPIELMANNUS**: ubi etiam adnotat ultimam hanc speciem Gallis proprie Garou dici, ejusque corticem reliquis efficaciorum à nonnullis contendi. Tum Parisi.

rifinos duarum primarum specierum folia recipere, hujus autem ultimæ radicem.

Folia vesicas excitare MATTHIOLUS monet; & idem de radice notissimum esse PETITUS affirmat. Cortice ab aliquot retro lustris loco fonticuli in Gallia uti solent, teste laudato SPIELMANNO: ubi plura hac de re videri possunt. Baccæ ardentes, fauces adurentes, pro granis Gnidiis, vel pro Coccognidio in officinis Anglicanis asservabantur, DALE. LINNÉ semina Coccognidii ex Daphne Mezerio defumi vult.

PASSERINA CILIATA: foliis lanceolatis, subciliatis, erectis; ramis nudis. *Berg. cap. 126.*

Folia caustica vi prædita in nonnullis officinis asservantur. DALE.

## TRIGYNIA.

**P**OLYGONUM HYDROPIPER: floribus hexandris, semidigynis; foliis lanceolatis; stipulis submuticis.

Herba, quæ in officinas recipitur sub Perficariæ, vel Hydropiperis nomine prostat: acris, urens, luteo-tinctoria; incidente, corrodente, stimulante, diuretica potissime vi pollet: à LINNÉ, DALE. Internus ejus usus præcipue in Hydrope; externus, in cataplasmate crudo ad Tumores oedematofos discutiendos.

Oves

Oves plantam non adtingunt. Pro flavo colore conficiendo infervire potest. *Onom. Botan.*

## TETRAGYNIA.

**P**ARIS QUADRIFOLIA: *Oed. Dan. 139.*  
Calyx quadriphyllus. Petala quatuor angustiora. Bacca quadrilocularis.

Integra planta odoris est ingrati, narcotici, suspecti; gallinas necat, & internus ejus usus hominibus etiam, Spasmos ventriculi, & Vomitus excitat. Antiqui Medici externum ejus usum in Bubonibus pestilentialibus, & Inflammationibus laudarunt: uti & baccarum succum, qui multum viribus cum succo Papaveris convenire creditur, ut refrigerantem, & in oculorum Inflammationibus præcipue efficacem, commendarunt. Seminibus in Mania & contra assumpta venena utebantur. In arte tinctoria folia locum habere possunt; in quem finem colligenda sunt ante florescentiam plantæ, siccanda, & cum filis, prius cum Alumine maceratis coquenda.

## ENEANDRIA

## MONOGYNIA.

**A**NACARDIUM OCCIDENTALE: Filamenta quidem decem, sed unico castrato. E

I nuce

## 130 ENEANDRIA MONOGYNIA.

nuce candelæ admota, ignis luforius Phycus.

Fructus in officinis habetur compressus, aviculæ cordis figura, ex Occidente adlatus; recens liquorem unctuosum, nigricantem, causticum præfocantem; exsiccatus nullum continet. Alter priori similis ex Oriente adlatus (sub Avicennæ tomentosæ nomine quærendus) itidem in officinis asservatur; uterque suspectus est; ad Dementiam ducere RAZES reliquit: quod & alii confirmarunt, teste *Cel. de CRANTZ.*

## TRIGYNIA.

**R**HEUM RHAPONTICUM: foliis glabris; petiolis subfulcatis.

Radix plantæ hujus rarioris in officinis usus: crassa, oblonga, ramosa, foris fusca, intus crocea, laxa, & rara, per transversum secta, spiras ostendens; saporis amaricantis, & subadstringentis; odoris non adeo ingrati; à Rhabarbaro vero non differt, nisi quod hoc acrius fit, minus solidum, magis croceum. Plantam hanc verum esse Rhaponticum **DIOSC.** asseverat: **DALE.** Radici huic vis purgans debilior licet, inest tamen, à **LINNÉ:** & Medicamentis purgantibus olim adnumerata fuit. Varios, antiquiores præsertim Materiei Medicæ pervolventi Scriptores; plures eæque diversæ, sub Rhabarbari, & Rhapontici nomine

ENEANDRIA TRIGYNIA. 131

occurrent plantæ: quæ addiscenti difficultatem parere possunt: quare sequentia ex *Cel. SPIELMANN* adducenda credidi.

“ Cum semel receptum fuit „ *inquit Ille*  
 „ radices extus flavicantes, intus rufescentes,  
 „ amaro & quodam austero sapore instructas  
 „ pro succedaneis veri Rhabarbari habere, hinc  
 „ Monachi Carthusiani, & Franciscani *TRAGI*  
 „ temporibus, radices Rumicis aquatici pro Rha-  
 „ barbaro adhibuerunt, hoc ut à reliquis distin-  
 „ gueretur, à Monachis denominarunt, alii eo-  
 „ dem nomine teste *LOBELIO* radices *Rumi-*  
 „ *cis Patientiæ* designabant; alii *Rumicis*  
 „ *Alpini*, nec non *Centaureæ Rhaponticæ*  
 „ indigitarunt.

„ Varium hinc Rhapontici, & Rhabarbari  
 „ Monachorum nomine, prostat plantarum ge-  
 „ nus“, *ait ultra laudatus Auctor*, „ quarum  
 „ radices colore extus sive nigricante, sive  
 „ lutescente, figura oblonga, odore nullo,  
 „ sapore evidenter alieno a Rhabarbaro vero,  
 „ differunt.

**RHEUM PALMATUM**: foliis palmatis acuminatis. *Linn. fasc. 7. t. 4. Act. Angl. 1765. p. 292. t. 12. Brun. Orient. 192. t. 73.* Rheum officinale germinum.

Veri Rhabarbari radix, ab hac planta provenit, quæ stiptico-amara, nauseosa, lutea est; vim purgantem, antacidam, tonicam, adstringentem, exanthematicam possidet à *LIN-*

## 132 ENEANDRIA TRIGYNIA.

NE. Plura de ejus viribus in *Mat. Med. Cel. de CRANTZ. SPIELMANN.*

Rheum palmatum verum est Rhabarbarum officinale, Botanicis vix ultra duodecim annos notum, frigoris patiens; flores, & semina protrudit. Hic Viennæ primum ante biennium in horto Botanico, & proprio *Cel. hist. Natur. Professoris de WELL* læte floruit, & semina produxit. Observandum vero est, radicem non ante decennium à quo sata fuit, vel ultra, in usus Medicos esse convertendam. Enascens herba flavam ostendat gemmam; unde facilis est conjectura minorem ibi aciditatem contineri, quam in Rheo undulato, (nunc Rheo Rhabarbaro) gemmam rubram fovente; quamvis & hoc tanquam purgans commode substituatur; hoc unico discrimine, quod plures ad maturitatem annos requirat. Rheum quoque compactum, quod tanquam genuinum Rhabarbarum venditavit D. MILLERUS, gemma flava gaudet; unde concludere licet, non minorem illi inesse vim, quam in Rheo laciniato. *Aman. Acad. 7. p. 307.*

GMELIN oculatus testis SPIELMANNOCITANTE refert; Rhabarbarum verum nullum ad Wolgam fluvium, aut ad murum ut vulgo asseri solebat crescere; sed omne in China, & ipsi vicina Regione Tangutica, inter 26. & 39. gradum latitudinis Borealis obtinere; inde per Calmucos & Calmucicos Bucharos, qui  
iti-



itineræ Mercaturæ ergo, secundum Wolgam fluvium instituunt, in Siberiam, & Russiam duci; magnæ Buchariæ incolas illud per omnem Persiam venale circumferre; unde ad portus Maris Mediterranei venit. Bucharos Sinenses autem idem per omnem Chinam Cantonum usque ducere: patet hinc, Chinense, Persicum, & Russicum Rhabarbarum, semper idem esse. SPIELMANNUS.

## E N E A N D R I A

## H E X A N D R I A.

**B**UTOMUS UMBELLATUS: *Calyx*, nullus. *Petalæ* sex. *Capsulæ* sex polyspermæ.

Herba olim in officinas recipiebatur; cui aperientem, deobstruentem vim MONTI tribuit; DALE. Cum vero pecora alio etiam pabulo deficiente illa vesci renuant, suspecti quid eam recondere cum fundamento conjicere licet.

## D E C A N D R I A.

## M O N O G Y N I A

**A**NAGYRIS FOETIDA: HASSELQU. *iter* 466. Vexillum alæque carina breviores in corolla papilionacea. *Legumen*.

Plantæ hujus folia, semen, officinalia sunt; folia tenera trita, illita Tumoribus, eosdem re-

## 134 DECANDRIA MONOGYNIA.

primunt. Semen commanducatum vomitiones vehementer ciet. *Diosc. DALE.* Hanc in Creta odore solo capitis gravedinem inferre, à *LINNÉ.* *Ameen. Acad. differ. de Medic. Odor.* afferit.

*CASSIA SENNA* : foliis sejugis, subovatis; petiolis eglandulatis. Stipulæ patentes. Petioli luteo-colorati absque glandulis. Legumina ovali -- oblonga, refalcata.

Folia, & folliculi Sennæ Alexandrinæ in officinis habentur; Italicæ folia tantum. Folliculi sunt Legumina ovata, compressa, viridia, plura semina oblonga includentia; odoris nullius; sapore salino, levissimo, folia referentia; amaritie ulla gaudent. Inter medicamenta purgantia usitatissimi folliculi sunt: serofos humores, flavam bilem pituitamque ducunt. *DALE.* à *LINNÉ.*

Primus *SERAPIO* Medicamenti hujus meminit: Arabes, & non pauci Restauratores Artis nostræ folliculos foliis præferendos esse fuaserunt; qui a nauseoso odore, & sapore immunes, multo minus etiam quam folia tormina excitant; stipites vero illis intermixti insigniter torminales sunt. Porro probe notandum, nec folia, nec folliculos coctionem ferre, monentibus *Cel. de CRANTZ, & SPIELMANNO.*

*GUILANDINA MORINGA* : inermis; foliis subbipinnatis; foliis inferioribus ternatis. *Mant. 379.*

Poly-

DECANDRIA MONOGYNIA. 135

Polygama, ex Hermaphroditis duobus.  
Legumen longum. Semina triquetra. An generis proprii?

Lignum in officinis receptum, flavo-pallescens, cæruleo-tingens, subacre, amaricans, in officinis sub nomine Ligni Nephritici venit; vi pellente, diuretica præditum: LINNÆUS. DALE. Qui Nuces quoque Ben, aut Balanus myristica dictas, ex hac arbore officinas habere, asserit; quas sequenti modo describit. „Fructus avellanæ minoris magnitudine, triquetri, includentes, sub putamine corticofo, & pellicula candida, fungosa, nucleum triquetrum, pinguem, albidum, saporis subacris, amari, nauseosi, & oleosi; quibus vim calefacientem siccantem, supra ac infra purgantem, bilem pituitamque educentem tribuunt.„ SPIELMANUS eorum usum, ob vehementes, supra enarratas vires eviluisse scribit.

Folia in aqua, cum Calce, aut Sale excocta, tum abluta, ut egregium olus in usum trahuntur. Siliquæ nondum perfecte maturæ, gratum dant ferculum. *Onom. Botan.*

DICTAMNUS ALBUS: Calyx quinquephyllus, Petala quinque patula. Filamenta punctis glandulosis adspersa. Capsulæ quinque coalitæ.

Planta in Italia sub nomine Fraxinellæ nota, *Sæculo XIV.* primum Dictamni nomine appellari cæpit: SPIELMANNUS. Ex hac in

## 136 DECANDRIA MONOGYNIA.

officinis folius radicis cortex; licet vires, capfulæ feminales longe majores quam radix promittant: *Cel. de CRANTZ.* Integra planta balsamo nativo terebinthinaceo turget adeo, ut atmosphæra hanc cingens effluviis ejusmodi plena, candela supposita, in flammam exardescere dicatur. Radix quæ in officinis habetur, recens odorem virosum spirat; saporem imprimit amarissimum. Huic balsamicas, pellentes anthelminticas vires à LINNÉ adscribit. Eandem radicem ut cardiacum, antipestilentielle, antihystericum remedium à multis enixe commendari, refert *Cel. de CRANTZ.* Cortex radicis putredini resistit. Icterus præcipue à vermibus natum curat. *ILLUSTR. L. B. à STÖRCK* vires hujus radicis in vermibus, Epilepsia, Chlorosi, Fluore albo, inordinatis suppressifque Mensibus, Febribus intermittentibus, egregias expertus est; & in *Libello de Flammula Jovis Capite secundo* publici juris fecit.

**RUTA GRAVEOLENS;** foliis decompositis; floribus lateralibus quadrifidis.

Rutæ herba in officinis asservatur acerrima, tetra, resolyens, alexiteria, antivenerea, pellens, carminativa, emenagoga, exanthematica, sudorifera, anthelmintica, phtiriaca à LINNÉ. Odorem penetrantissimum, ingratum, graveolentem planta habet; saporem ingratum, & cum amaritie subacidum; sanguinem dilutum, fluidiorem facit: **SCHUVENEKE;** & contusa, externe

terne applicata rubefacit. *Cel. de CRANTZ.*  
*SCHENEKIUS de venenis. p. 798.* inquit. „Rutæ  
 „ facultas caustica; ut Erisipelas manuum, &  
 „ frontis induxerit hortulano in Scotia, qui  
 „ per aliquot dies hanc eruerat. “ Ideoque  
*PLINIUS Lib. 20. Cap. 13.* Cicutæ succum,  
 inquit, prodesse manibus colligentium Rutam.  
 Usus Medicus plantæ in Peste, Epilepsia,  
 Hysteria, Cephalalgia, Ophtalmia, Singultu à  
 LINNÉ.

Medicamentum jam à PYTHAGORA cele-  
 bratum, HIPPOCRATES resolvendi, urinam  
 ducendi, venenum arcendi ergo commendat;  
 ad flatus dissipandos GALENUS adhibuit; SPIEL-  
 MANNUS. Externe, tusam cum sale recens  
 plantam, addito Vino, Aceto, ad contusas, &  
 emortuas partes *Cel. de CRANTZ* commendat.

MELIA AZEDARACH: foliis bipinnatis.

Flores in usum pharmaceuticum traheban-  
 tur; hos aperientes, seu deobstruentes scribit  
 MONTI. Alii vero noxiam, seu venenatam  
 facultatem iis attribuunt. *DALE. Cel. de CRANTZ,*  
 „ MATTHIOLO inquit multum criminatur hæc  
 „ planta, quod venenatissima stirps sit; cujus  
 „ foliis interficiantur animalia, fructuum usu  
 „ moriuntur canes, quos nec oves adtingunt.

MONOTROPA HYPOPITHYS: floribus  
 lateralibus octandris; terminali decandro *Oed.*  
*dan. 232.*

**KALMIA LATIFOLIA:** foliis ovatis, corymbis terminalibus.

Folia animalibus domesticis, ut ovibus, vitulis, equis, bobus, vaccis aut lethalia, aut admodum noxia; contra fylvaticis, ac præcipue cervis, gratum salubreque pabulum: tamen foliis his pasti animalis caro, canibus exhibita, lethifera iis symptomata infert, homini minime noxia. In Kamschatka ufus plantæ hujus est in Lue venerea. *Onom. Botan.*

**KALMIA ANGUSTIFOLIA:** foliis lanceolatis; corymbis lateralibus.

Folia æque venenatæ sunt indolis ac præcedentis. *Onom. Botan.*

**LEDUM PALUSTRE:** Calix quinquefidus. Corolla plana, quinque partita. Capsula quinque locularis, basi dehiscens.

Herba Rosmarini fylvestris sub nomine in officinis asservatur; amara, nidorosa est. Narcoticam, phantasticam, cephalalgicam, exanthematicam, phthiriacam vim habet a LINNÉ. Ob inebriantem vim quam possidet, in multis Saxonæ locis cerevisiæ incoquitur, ut citius rusticos inebriet; illam cerevisiam bonam putantes, qua per aliquot dies caput gravatur: BUXBAUMIUS. Vulgo ad abigendas Tineas apponi solet: RUPPIUS, DALE.

Oves plantam intactam relinquunt. Magni in œconomicis usus est ad coria densanda debito modo cum aliis præparata planta. Decoctum

DECANDRIA MONOGYNIA. 139

ctum foliorum recentium adhimetur ad cimices  
e domibus lectisque pellendos: decoctum vero  
herbæ contra pediculos suum, boum, si hoc  
laventur, laudatur. *Onom. Botan.*

D I G Y N I A.

**C**HRYSOSPENIUM ALTERNIFOLIUM:  
foliis alternis. *Oed. Dan.* 366.

Planta in humidis crescit; acris, corrosi-  
va à LINNÉ. In officinis hepatica, aurea  
audit; & ad hepatis obstructions solvendas apta  
Creditor. *TABERNÆMONTANUS. p. 1224.*

**SAPONARIA OFFICINALIS**: calycibus  
cylindricis; foliis ovato-lanceolatis: *Oed. Dan.*  
543.

Radice[m], herbam, semina plantæ hujus  
officinæ recipiunt; planta sudorifera, diureti-  
ca, emenagoga, anthelmintica est: à LINNÉ.  
Extrinfecus ptarmicam esse, *DALE* asseverat.

**SAPONARIA VACCARIA**: Calycibus py-  
ramidatis, quinquangularibus; foliis ovatis,  
acuminatis, sessilibus.

Semen in officinis receptum olim fuit; vi  
calida, sicca, urinam pellente præditum. *DA-*  
*LE.*

TRI-

## TRIGYNIA.

**S**ILENE MUSCIPULA: petalis bifidis; caule dichotomo; floribus axillaribus, sessilibus; foliis glabris.

Semen officinae in nonnullis locis sibi vendicant; quod cum Saponariis, viribus convenire creditur. DALE.

## PENTAGYNIA.

**S**EDUM ACRE: foliis subovatis, adnato-fessilibus, gibbis, erectiusculis, alternis; cyma trifida.

Herba in officinis olim usitata acris est, & vehementer excalesciens; succus aliquo liquore extractus, intrinsecus assumptus, Vomitum movet, crassos pituitososque humores potenter educit. Extrinsecus rubefacit cutem, in vesicas attollit, exulcerat. DALE.

Decoctum cum Lacte, vel Cerevisia paratum, scorbuticis inservit. GUNN. *fl. Norv.* 60. & Cl. BORRICHIVS *de usu plantarum indigenarum in Medicina* p. 54. ait. Medicum Castrensem Professore Londinensem nomine BELLOW, hujus herbae decocto in Cerevisia, quaedam millia hominum contra Scorbutum sanasse. *Aman. Acad.* 7. p. 492.

Planta haec cum indigena sit Austriae, an non in eodem usus cedere posset?

AGRO-



DECANDRIA PENTAGYNIA. 141

AGROSTEMMA GITHAGO: hirsuta; calycibus corollam æquantibus; petalis integris, nudis. *Oed. Dan.* 576.

Semen olim in usu Medico erat; viribus calefacientibus, exsiccantibus præditum; in pefso cum Melle subditum Menfes evocat: DALE. Decoctum foliorum externe adhibitum discutere, ulcera male indolis profunda que mundare, & consolidare, etiam in morbis Cutaneis cum successu adhiberi dicitur. *Onom. Botan.*

Inter Secale, & Triticum crescit planta: ejus semina cum Frumento excussa, & in molendino contrita, farinam reddunt cæruleam, cæteroquin innocuam, saporis amariuscule, subacris. *ZÜCKERT Mat. Aliment.*

AGROSTEMMA CORONARIA: tomentosa; foliis ovato-lanceolatis, emarginatis, coronatis, ferratis. *Habitat in Syberia passim.*

Semen olim in officinis obveniebat; bilem per alvum trahere, ictis a scorpione subvenire, *DIOSCORIDES* refert. DALE.

LYCHNIS DIOICA: floribus dioicis.

Semen olim officinæ asservabant; quod cum Agrostemmatibus Githaginis semine viribus conquire, DALE asseverat.

## D E C A G Y N I A.

**P**HYTOLACCA DECANDRA: floribus decandris, decagynis.

Folia, radix, olim officinalia erant; folia anodyna existimantur; succus radicum purgat vehementer. Dale. Succus hic radicum ad unum vel duo cochlearia exhibitus, est purgans remedium in Virginia commune. *Onom. Botan.*

Tenella planta primo vere a Virginiae incolis editur; adultior venenata est: teste KALMIO. *Amer. Acad. 6. p. 128.* Succus expressus jam adultorum foliorum, in sole ad unguenti consistentiam inspissatus, contra Cancrum adhibetur; quamvis SPROEGEL sæpe medicamentum hoc inefficax se invenisse testetur: in scopum supra dictum recentia etiam folia ad loca cancrofa applicantur. Baccæ in autumno ab infantibus impune sæpe comeduntur; licet earum succus, qui pulchrum, ast inconstantem colorem rubrum dat, cani exhibitus, Tremores, & leves Contractiones caufaverit. *Onom. Botan.*

## D O D E C A N D R I A

## M O N O G Y N I A.

**A**SARUM EUROPÆUM: foliis reniformibus, obtusis, binis.

In officinis Afari folia celebrantur amarocria, nauseosa; vi vomitoria, purgante, errhina,

rhina, diuretica, diaphoretica, emenagoga prædita à LINNÉ. Radix hujus herbæ ad ℥j. optime purgat; ita tamen, ut in pulvere tenuissimo exhibita, emesin excitet; in grossiori vero absque everfione ventriculi alvum aperiat. In decocto vinoso vomitoria est, vel purgans; in aquoso vero sudorifera, vel diuretica. Folia No. vj. ipsa fere radice sunt fortiora; adhibentur vero rectissime contusa, & macerata frigide per noctem, in vini uncia j. Extractum tam radice, quam foliorum, cum Spiritu Vini commode agit. Asarum hoc Ipecacuanhæ haud inepte substitui potest. *Amen.*  
*Acad. 7. p. 307.*

Minoribus dosibus datam radicem, aut longiore coctione debilitatam, egregie resolvere observatum est. RULANDUS, & SCHEFFER Hydropicos inde viderunt curatos: patet hinc, cur virtutes ejus diaphoreticas, diureticas, emenagogas celebrarint Auctores. SPIELMANNUS: ubi plura videri possunt.

In Anglia, referente DALE, a Botanopolis Asarum Virginicum pro Europæo vendi solet; cum id, odore & sapore apprime referat.

BOCCONIA FRUTESCENS: Calyx dyphillus, Corolla nulla. Stylus bifidus. Bacca exarida, monosperma.

Integra planta acerrima; succo flavo, Chelidonii succo simili, scatet. Americanis ad verrucas exurendas inservit.

PE-

DODECANDRIA TRIGYNIA. 145

tibus, & roborantibus adscribitur. FORESTUS ea intus assumta Hæmorrhoides & Prolapsum ani sanatum, & Lapidem vesicæ ita comminutum, ut per frusta cum lotio exierit &c. se vidisse curatum testatur: referente SPIELMANNO.

T R I G Y N I A.

**E**UPHORBIA ANTIQVORVM: aculeata, subnuda, triangularis, articulata: ramis patentibus.

Omnes generis hujus species mordaci quadam acrimonia scatent; quæ licet in aliis magis, minus in aliis emineat; licet alias præ aliis magis occupet partes, toti tamen generi communis esse deprehenditur: sic ex observationibus Euphorbia Cyparissias vehementius agit, quam Euphorbia helioscopia; sic succus longe magis causticus est, quam folia & fructus; & hæc, acriores denuo radice. Omnes plantarum harum partes, si recentes cuti applicentur, Tumores, dolorificas Inflammationes, vesicas excitant; deglutitæ, Inflammationes faucium, laringis, ventriculi, intestinorum, Diarrhæas, Dysenterias, Ventris tormina, Vomitus, Hæmoptoes, Hydropes, non raro mortem causant: panis ipse in furno planta hac calefacto pistus, ex relatione quorundam alvum movere creditur, referente Cl. GMELIN: qui etiam apes, quæ ex defectu meliorum plantarum

K

hanc

hanc in usum vocant, perire; & cætera animalia ab ejus usu eodem, ut supra innui, modo affici; capris exceptis, quæ absque ullo præjudicio hac planta vescuntur, asserit.

Quæ nunc in genere de Euphorbiis dixi, confirmabuntur per omnes ejus species, quæ sequuntur; nimirum quarum effectus per observationes, & experimenta noti sunt.

Antiqui, uti etiam Ipse DALE, crediderunt probabiliter succum inspissatum Euphorbiæ, qui in officinis sub nomine gummi Euphorbiæ profert, ex hac tantum planta colligi; quæ ideo forte ab *Illustrissimo* LINNÆO, utpote Antiquis vel ex hoc capite præ reliquis magis nota, Euphorbia antiquorum nuncupata fuit. Alii Euphorbiam officinalem considerarunt ut plantam succum hunc officinis largientem, quem nunc æque ex officinali Euphorbia, quam etiam ex hac colligi novimus. *Onom. Botan.* Nihilominus de succo *Illustriff.* LINNÆUM secutus, sub Euphorbia officinali, quæ nunc sequitur, sermonem instituat.

EUPHORBIA OFFICINARUM: aculeata, nuda, multangularis; aculeis geminatis.

In officinis Euphorbiæ gummi ex hac planta profert. Incidens, corrodens, rubefaciens, vesicans, excorians, stimulans, pellens, drastringicum, sternutatorium. Hoc primum, ut *PLINIUS Lib. 25. C. 7. refert.* JUBA *Mauritania* Rex in monte Atlante invenit, & plantam

tam unde effluit, nomine sui Medici EUPHORBII dicti, & ANTONII MUSÆ ejus fratris, Medici Augusti Imperatoris, Euphorbiam appellavit: quæ dein nomen, ut patet, generi dedit. Cum vero Inventor plantæ hujus, non diu ante æram Christianam vixit, mirum non est, apud Antiquiores ullam Euphorbii mentionem prostare: hinc & THEOPHRASTUS, qui longe tempora hæc antecessit, nihil de hac adnotare potuit; & Galenus pauca etiam admodum de Euphorbio scripsit; & si ejus mentionem fecit, ex aliorum potius relatione locutus est: causticum tamen hoc, illo præeunte, omnes omnium ætatum Medici statuerunt. DIOSCORIDES; vero diligentius profecutus est modum colligendi Euphorbiam, quod in ventriculis ovium conservari scripsit. Effectus quos interne assumtus succus ille inspissatus producit, sequentes MERCURIALIS *Cap. 7. de Venenis calidis* recenset. „ Aestuationem „ ingentem, ob inflammationem oris, ventriculi, „ intestinorum, sitim, singultum, convulsionem, fluxus. „ Et PETRUS de ABBA- „ NO *Cap. 19. de Venenorum remediis* „, ille, „ cui datus fuerit succus Tithymalorum, patietur fluxum ventris, & vomitum, & accidentia Cholericæ passionis. „ TULPIUS Convulsiones periodicas ab eo ortas, observavit: hypercatharsin cum gravissimis doloribus GULDENKLEE; Dyfenteriam altero die lethalem

ALEXANDER BENEDICTUS: his subjungit  
 SPIELMANNUS: „ licet itaque intus in mor-  
 „ bis, ubi drastica proficua fore reputantur, a  
 „ quibusdam commendetur, prudens Medicus  
 „ numquam ægrotos suæ fidei commissos, gra-  
 „ vissimis ab eo periculis metuendis exponet;  
 „ cujus rei etiam *Cel. de CRANTZ* meminit, dum ait:  
 „ planta hæc incisa lac fundit causticum in-  
 „ flammans, infelici in horto *Lugduni Ba-*  
 „ *tav.* exemplo: lacryma hæc exsiccata ar-  
 „ dentissimum hydragogum interno non satis  
 „ tutum usu, etiam inter errhina infame „. BARTHO-  
 LINUS inde caput intumuisse, faciem cum  
 faucibus inflammatam, insequente Stranguria  
 vidit, SPIELMANNO citante. Extus interdum  
 rubefacientibus, & vesicantibus commiscetur;  
 pulvis ejus ossibus inspergitur, quorum exfolia-  
 tio promovenda est, & nervis, quos destrui  
 indicatio jubet. *Cel. de CRANTZ.* SPIELMAN-  
 NUS. Notari porro meretur, ad externos etiam  
 usus pulverem hunc vehementer causticum  
 mitigari a nonnullis addito Sale alcalino, Oleo  
 presso, vel pulvere radicis Iridis Florentinæ.

Oleum, quod, coquendo in Oleo Euphor-  
 biam, obtinetur; in morbis capitis frigidis, &  
 in Paralyfi SPIELMANNUS: in Tumoribus  
 duris *Cel. de CRANTZ* laudat.

EUPHORBIA CHAMÆSICE: dichoto-  
 ma; foliis crenulatis, subrotundis, glabris; flo-  
 ribus

ribus solitariis, axillaribus; caulibus procumbentibus. *Mant.* 393.

Herba a **DIOSCORIDE** jam recensetur alvum resolvere, succumque simili modo prodesse; qui illitus, contra scorpionis etiam ictus auxiliatur. **DALE.**

**EUPHORBIA PEPLIS:** dichotoma; foliis integerrimis, femicordatis; floribus solitariis, axillaribus; caulibus procumbentibus.

Plantæ hujus herba itidem officinalis; iisdem cum aliis Euphorbiæ speciebus viribus pollet. **DALE.**

**EUPHORBIA PEPLUS:** umbella trifida, dichotoma; involucellis ovatis; foliis integerrimis, obovatis, petiolatis.

Herba æque ac fructus in officinas recipitur: bilem, ac pituitam detrahit: in hydromelite pota, obsoniis inspersa, conturbat alvum, **DIOSCORIDES, DALE.**

**EUPHORBIA LATHYRIS:** umbella quadrifida dichotoma; foliis oppositis, integerrimis.

Semina plantæ hujus sub nomine Cataputiæ minoris in officinis inveniuntur; oblonga, rotunda, piso majora, includentia sub pellicula corticosa nucleum album, pinguem, saporis subdulcis, acris, nauseosi. **DALE.** Planta ipsa lætescens, acris, septica; vis corrodens, rubefaciens, vesicans, excorians, stimulans, drastica à **LINNE.** Succo lacteo, acerrimo;



planta violentissime fursum deorsumque movet, non sine corrosionis & Gangrænæ periculo; eandem vim semina possident. *Cel. de CRANTZ.* Galenus jam grana hæc maxime purgatoria pronuntiavit. TRAGUS grana 12. vel 14. tusa vinoque pota, totum commovere corpus, alvum purgare, pituitam, & bilem ducere, vomitiones potenter provocare, Choleram & Melancholiam adducere, asserit.

**EUPHORBIA APIOS:** umbella quinquefida, bifida; involucellis ramiformibus; primis obcordatis. Rami steriles; foliis linearilanceolatis, obtusis. Floriferi vero subrotundo-ovatis. Umbella quadrifida, bifida, nec ultra. Involucrum universale quadriphyllum; foliolis subrotundis, vix acutis. Involucella priora foliolis obcordatis; posteriora reniformibus, vix mucronatis.

Radix hujus olim in officinis occurrebat, vi alvum ducendi prædita. **DIOSC. DALE.**

**EUPHORBIA SPINOSA:** umbella subquinquefida, simplici; involucellis ovatis; primariis triphyllis; foliis oblongis, integerrimis; caule fruticoso. *Mant. 393.*

Flores sæpius solitarii. Capsulæ verrucosa. Petala rotunda.

Succus vi pituitosos humores educente præditus, olim in officinis servabatur. **DALE.**

**EUPHORBIA PITHYUSA:** umbella quinquefida, bifida; involucellis ovatis, mucronatis

natis; foliis lanceolatis; infimis involutis, retrorsum imbricatis.

Hujus quoque radix scopo purgante adhibebatur. DALE.

**EUPHORBIA PARALIAS:** umbella subquinquefida; bifida; involucellis cordato-reniformibus; foliis sursum imbricatis. *Petala integra. Planta glauca.*

Tota planta olim in officinis ad similes usus ut præcedentes recondebatur. DALE.

**EUPHORBIA SEGETALIS:** umbella quinquefida; dichotoma; involucellis cordatis, acutis; foliis lineari-lanceolatis; superioribus lateralibus. *Petala lunata. Fructus lævis, angulis scabris; umbella sæpe longitudine totius plantæ. Involucella fere semiorbiculata. Rami etiam floriferi infra umbellam.*

Folia, quæ olim usu veniebant, cum reliquis quoad virtutem convenire creduntur. DALE.

**EUPHORBIA HELIOSCOPIA:** umbella quinquefida; trifida; dichotoma; involucellis obovatis; foliis cuneiformibus, serratis. *Petala integra. Fructus levis.*

Herba quæ olim in officinis servabatur, cum Tithymalis viribus convenit DALE. Capræ sæpius hac planta vescuntur absque ulla noxa; nisi quod caro illarum pessimi, & nauseosi saporis evadat: idem vaccis, & ovibus accidit, si contra consuetudinem hanc plantam comederint.

Oves vero ventris fluxu inde afficiuntur. *Cl.*  
GMELIN.

**EUPHORBIA VERRUCOSA** : umbella quinquefida ; subtrifida ; bifida ; involucellis ovatis ; foliis lanceolatis , ferratis , villosis ; capsulis verrucosis ; caules decumbentes ; petalâ integra.

**EUPHORBIA ESULA** : umbella multifida ; bifida ; involucellis subcordatis ; petalis subbicornibus ; ramis sterilibus ; foliis uniformibus.

Cortex radicis , & folia officinalia sunt. Radix est oblonga , foris fusca , intus ex flavo albescens ; saporis paulo acrioris ; gustu linguam , fauces ignea acrimonia adurit ; assumpta vero , tanta cum vehementia , & simul molestia hydropicorum aquas , per vomitus , ac sedes exterminat , ut non sine cautione usurpanda sit :

**DALE.** Maceratione in acidis corrigitur : *Idem*  
*Cl.* SCOPOLI vidit ab externo plantæ hujus usu , dum scroto applicabatur , tumorem magnitudinem capitis humani superantem ; & ab eadem planta abdomini applicata , illud in maximam intumuisse molem ; quem inflammatio totius abdominis , quæ cito in Gangrænam , & dolorificam mortem vergebat , presso sequebatur pede. Si ejus succo palpebris ad se invicem adductis , tarsus oculorum inungatur ; oculi Inflammatio , & brevi perfecta visus jactura observata fuere. Si igitur externus ejus usus adeo vehementes

pro-

producat effectus; mirum omnino non est, si interne assumta, fortius agat. Ex observatis BUCHOLTZ triginta radices grana fœminæ cui-dam vitam ademisse notum. GUERIN *loc. cit. pag. 37.* refert, radices in majori dosi quam par erat, rustico ad expurgandum exhibitas, vomitus conciliaffe acerbissimos, & ex vase pulmonico inde rupto mortem secutam fuisse, observante LEDEL. Febrem inde suppressam, & Anasarcam excitatam notavit SIEGESBECK. Nihilominus semina, & radices cortex, ut vehemens medicamentum hydragogum, ad Hydropicorum præcipue aquas educendas, dum adhuc intestina illibata adsunt, a nonnullis Medicis, ut dictum, adhibetur. CHOMEL, & HILDANUS addito Sale Tartari. succum hujus plantæ per aliquot dies relinquebant, tum ad extracti consistentiam inspissatum, dosi granorum duodecim, eodem cum effectu ac Scammoneum, scopo purgandi, ægris propinabant. Plura in *Dissertatione Cel. GMELIN* legi possunt; ubi etiam meminit, forte hujus plantæ seminibus piscium fures uti, ea aquæ immittendo; ut horum ope temulentis, & soporosis redditis piscibus, minori negotio prædari possent. Hac planta vescitur larva Sphingis Euphorbiæ *Linn.* & Capræ absque notabili præjudicio eam depascunt.

EUPHORBIA CYPARISSIAS: umbella multifida; dichotoma; involucellis subcordatis; ramis

sterilibus; foliis setaceis; caulinis lanceolatis.  
*Mant.* 394.

Petala lunata. Fructus lævis.

Succus qui olim in officinis inveniebatur, iisdem cum præcedentibus viribus pollet. **DALE.** Extat tamen apud **SPROEGEL** experimentum, succum hujus plantæ juveni cato vi inditum, nullos malos effectus produxisse.

**EUPHORBIA MYRSINITES:** umbella sub-octofida; bifida; involucellis subovatis; foliis spatulatis, patentibus, carnosis, mucronatis, margine scabris.

Radix, folia, semen, succus in officinis servabantur: succum alvum vehementius purgare **DIOSCORIDES** refert. **DALE.**

**EUPHORBIA PALUSTRIS:** umbella multifida; subtrifida; bifida; involucellis ovatis; foliis lanceolatis; ramis sterilibus.

Lactescens, acris, suspecta planta; cujus radices sub nomine radicum *Esulæ* in officinis profant: vi corrodente, rubefaciente, vesicante, excoriante, stimulante, drastica præditæ. à **LINNE'.**

**EUPHORBIA HYBERNA:** umbella sex-fida; dichotoma; involucellis ovalibus; foliis integerrimis; ramis nullis; capsulis verrucosis.

Radix, succus, folia, itidem officinalia fuerunt, & viribus cum reliquis conveniunt. Radicem tusam, aquæ inspersam, pisces necare **DIOSC.** refert, **DALE.**

EJ-

EUPHORBIA DENDROIDES: umbella multifida; dichotoma; involucellis subcordatis; primariis triphyllis; caule arboreo.

Folia, semina, succus in officinis passim veniunt, eosdemque effectus cum prioribus edunt.

DALE.

EUPHORBIA AMYGDALOIDES: umbella multifida; dichotoma; involucellis perforatis, orbiculatis; foliis obtusis. *Mant. 394.*

Esula caule crasso *Riv. tetr. 227.*

Semina, & radices, quamvis planta eadem cum aliis congeneribus acrimonia polleat, in scopum purgantem adhibentur; & ante plures annos Parisiis, radice pulvis ut arcanum contra Febrem intermittentem vendebatur: GMELIN.

Ejus semina Sale, & Aceto etiam temperata, acerrima sunt. Radix minus vehemens, tamen vomitus & ventris fluxus producit. *Onom. Botan.*

EUPHORBIA SYLVATICA: umbella quinquefida; bifida; involucellis perfoliatis, subcordatis; foliis lanceolatis, integerrimis. *Mant. Petala* lunata.

Cum præcedentibus viribus convenit: radix olim in officinas recipiebatur. DALE.

EUPHORBIA CHARACIAS: umbella multifida; bifida; involucellis perfoliatis, emarginatis; foliis integerrimis; caule frutescente. *Mant. 394.*

Radix, folia, semina plantæ hujus in officinis asservantur; quæ omnia urenti vi, ut  
&

PEGANUM HARMALA: foliis multifidis.

Herba, & semina parva, angulosa, nigricantia, olim in officinis asservabantur; quibus homines inebriari adeo, ut subinde diutius dormiant, scribunt Arabes. DALE.

Semina hujus in foro venalia assumunt Turcæ, unde inebriantur; auctore BELLONIO in *itinerario*: qui refert, Imperatorem Solimanum vesci semine solitum (teste JOVIO) ignorans quale esset, quod voluptatem adferret rerumque molestarum memoriam tolleret. Ex hoc semine forte Bolus erat, quem KEMPFERUS apud Persas in convivio assumpsit; unde gaudio inexplicabili, quali antea nunquam implebatur: inde amplexus, risus jocusque &c. at finita cœna, dum ascendisset equum, virtus aliam ideam ipsius cerebro implantabat; haud aliter, ac si pegafo insidens, volitasset per nubes, & coloratissimos iridis arcus, ac si cum Dñs cœnasset: crastino die oblitus gestorum omnium. *Amæn. Acad. 6. p. 183.*

## D I G Y N I A.

**A**GRIMONIA EUPATORIA: foliis caulinis pinnatis; impari petiolato; fructibus hispidis. *Oed. Dan. 588.*

Diuretica, vulneraria, pellens &c. planta:  
à LINNÉ. A Galeno medicamentis aperientibus,

## 156 ICOSANDRIA MONOGYNIA.

& ceteræ pollent. Succus alvum purgat vehementius. DALE.

ICOSANDRIA  
MONOGYNIA.

**P**RUNUS LAURO-CERASUS: floribus racemosis; foliis semper virentibus; dorso biglandulosis.

Planta ex Trapezunte in Europam anno 1576. advecta est; cujus folia officinæ receperunt: diuretica, narcotica vi pollet a LINNÉ. Flores, & folia odorem sat gratum possident; folia cum Lacte cocta huic amygdalinum saporem tribuunt; in quem usum diu trahebantur, quousque lethales inde secuti effectus, usum hunc noxium, generique nervoso inimicum, ostenderunt. JOANNES PHILIPPUS du ROY. *de Cultura Arborum sylvestrium p. 198. edit. Germ.* Ubi etiam refert, cum aqua destillata du HAMEL experimenta in cane fecisse, quem dosi unius cochlearis hujus aquæ intus ingestæ interfecit. Aperta hac victima, curatissima etiam inspectione, nullum Inflammationis vestigium detegere potuit, præter exaltatum amygdalarum amararum vehementer suffocantem odorem, aperto ventriculo illico erumpentem.

PRUNUS SPINOSA: pedunculis solitariis; foliis lanceolatis, glabris; ramis spinosis.

Mani-



Manipulum florum præcipue recentium, in infuso aquoso, aut vinoso, alvum bene atque sine ulla molestia ducere, satis compertum habemus. Fructus si maturus, esculentus est; ex quo immaturo succus expressus sub nomine Akaciæ germanicæ prostrabat adstringens. Ex eodem fructu nigrum colorem conficere solent.  
*Onomat. Botan.*

PENTAGYNIA.

**S**PIRÆA FILIPENDULA: foliis pinnatis; foliolis uniformibus, serratis; caule herbaceo; floribus corymbosis.

Radix, herba, officinalia sunt. Radix diuretica est; folia infusa, vel decocta, in Ictero conveniunt. BOERHAAVE. DALE.

POLYANDRIA

MONOGYNIA.

**A**CTÆA SPICATA: racemo ovato; fructibus baccatis.

Planta veteribus jam ut venenata nota; Aconitis ab iisdem ideo adnumerata; ut à LINNÉ *Fl. Lapp. N<sup>o</sup>. 217. p. 176.* suspicatur.

„ Unum vel alterum *inquit* novimus triste exemplum eorum, à quibus baccæ assumptæ;  
„ ut mirum nobis non videatur, cur Veteres  
„ eam ad Aconita demandaverint. „ Baccæ ipsæ

ipsæ atræ, malignam suam indolem produnt. Ex iisdem baccis cum Alumine coctis sat nigrum atramentum confici potest. *Cl. GMELIN*, de radice hujus plantæ refert, hanc loco Hel-lebori nigri externe interneque adhiberi posse: ut *LIETAUD* affirmat. *GUERIN Dissert. de Venen. Vegetab. Alsat. p. 12.* de venenata plantæ hujus indole dubitat.

**ACTÆA RACEMOSA:** racemis longissimis; fructibus siccis.

Tetra, fœtida, venenata stirps; cujus in officinis radix asservatur; pellente, sudorifera, anodyna, repellente vi prædita: à *LINNEË*. Baccas nigras multum venenatas fert. *Cel. de CRANTZ*, jam antiquitati suspectas.

**SANGVINARIA CANADENSIS:** folium radicale tenerrime in sinu fovet, & amplectitur infantiam floris, more *Osmundæ Lunariæ*; & est Folium unicum cucullatum; & Scapus uniflorus e singula gemma radice bivalvi. Stamina mæx vix habuere Antheras polliniferas, an dioica? Lactescens succo flavo *Chelidonii*.

De hac *MORISON hist. Oxon. 2. p. 257.* sequentia notat.

„ Radicem habet carnosam, ut & folia  
 „ succo flavo, aut aureo, virus quoddam olen-  
 „ te turgida; si quælibet ejus pars rumpatur;  
 „ illico prædictus succus emanat; quemadmo-  
 „ dum succus albus, aut lacteus distillat ex

„ Ti-

POLYANDRIA MONOGYNIA. 159

⁂ Tithimalorum, aut Ficum, multarumque  
⁂ herbarum partibus ruptis aut abscissis. ⁂ Hinc  
non absque fundamento venenatis ejusmodi Stir-  
pibus à LINNÉ' adnumeravit.

CHELIDONIUM MAJUS: pedunculis um-  
bellatis. *Oed. Dan.* 542.

Planta radicem & herbam officinis largitur;  
plantæ succus luteus, amarus, acris, deurens.  
diuretica, & diaphoretica vi pollet à LINNÉ'.  
Visum acuere, bilem per alvum, & urinam du-  
cere; hinc in Ictero, Obstructione lienis, he-  
patis, uretherum commendat SCHRÖDER: cru-  
dam plantam, vel succum, non tuto intus as-  
sumi propter acrimoniam BUXBAUMIUS notat,  
DALE'.

In quibusdam Regionibus planta magno est  
in usu, & imprimis Virgines chloroticæ tem-  
pore verno, planta aut infusa, aut in Lacte co-  
cta utuntur.

Notandum vero est Chelidonium hoc non  
esse Chelidonium Antiquorum, & DIOSCORI-  
DIS; ut Ferrarienses, & post illos LEONAR-  
DUS FUCHSIUS indicarunt.

PAPAVER SOMNIFERUM: calycibus ca-  
psulisque glabris; foliis amplexicaulibus, in-  
cisis.

Celebris planta ob succum inspissatum, jam  
Antiquis notissimum sub eodem quo nunc Opii  
nomine. Hoc ut docet Diosc. *Lib. 4. Cap.*  
22. fit duobus modis: vel enim contunduntur  
folia,

folia, & caules ipsius Papaveris atque ex illis contusis succus exprimitur, qui exsiccatuſ atque in uſum ſervatuſ dicitur Moeconium; vel inciduntur ſcapi ſecundum cutim, & ex incifura ſuccuſ ille, qui inſtar lacrymæ depluit, digito colligitur, & dein concretuſ ſervatur, atque poſtremum hoc genuſ ſolet vere nuncupari Opium. Et, ut DIOSCORIDES monet, Moeconium eſt multo viribuſ inferiuſ hac lacryma, quæ verum eſt Opium.

Porro recens viridiſque fere tantum planta ſucco hoc, ob quem ſolum efficax eſt, abundanti ſcetet; ut cuilibet vel acicula tantum viridia adhuc Papaveris capita, vel caulem pungenti compertum. Quare magna cum prudentia in *Pharmacopœa Auſtriaco-Provinciali pag. 51.* adnotatum eſt, herbam recentem pro unguento Populeo ſumendam.

Magnuſ Opii quotidianuſque apud Orientaleſ populoſ abuſuſ eſt; cujuſ uti debituſ uſuſ magna commoda, ita præpoſteruſ copioſuſque maxima mala creat: ut *Illuſtriſſ. à LINNÉ Amœn. Acad. 6. p. 182.* adnotat. "Turcæ olim hoc magiſ quam hodie abuſi ſunt, qui id à grano ad drachmam uſque ſumunt, prout longiori uſu in conſuetudinem ceſſit naturalem. Hoc pellit curas, mæſtitiã, & periculorum metuſ, excitat hilaritatem, riſum, oblivionem, ſtultitiã, furorem; quamobrem etiam Imperatores eorũ ſæpe  
" mi-

39 militibus in aciem educendis, drachmam  
 39 opii viritim præbent, ut hostem imperterriti  
 39 aggrediantur. Justo autem major dosis si  
 39 accipiatur, pupillæ dilatationem, ruborem  
 39 faciei, balbuciem, singultum, maxillæ re-  
 39 laxationem, & alia ejusmodi mala gignit. Qui  
 39 Pharmaco hæroico hoc diu abusi sunt, he-  
 39 betes inde fiunt, incurii, stupidi, elingues,  
 39 macilenti, melancholici, tremuli, præcoci  
 39 senectute, sed rationi convenienter usurpa-  
 39 tum hæroicum est medicamentum, & Diæ-  
 39 tetice recreat validius, quam ullum aliud  
 39 hucusque cognitum: hæc LINNÆUS ZUC-  
 39 KERT *Mat. Aliment.* graphice etiam effe-  
 39 ctus Opii describit. "Opii inquit unum vel  
 39 alterum granum Europæis lethale. Ori-  
 39 talibus in deliciis, ut Magnates præcipue  
 39 de die pluries opio utantur, neque parvam  
 39 assumant quantitatem, sed multa ab hujus  
 39 usu patiuntur mala; emaciatur enim corpus,  
 39 laxantur vires, contristatur animus, stupe-  
 39 scit ingenium, unde videas adinstar stipi-  
 39 tum, somnolentos, & quasi elingues, federe  
 39 in Conviviis opii liguritores.

Plura de Opii viribus qui desiderat, adeat  
 PETRI de ABBANO *de Venenis Cap. 25. &*  
*26. MERCURIALIS Lib. 2. Cap. 7. de Ve-*  
*nenis ore sumtis*, STALPART WANDER-  
 WIEL *observ. 42. de Opio.* ubi plurima fune-  
 sta exempla ex variis collecta Auctoribus enar-  
 rantur.

L

rantur.

162 POLYANDRIA MONOGYNIA.

rantur. *Mat. Med. Cel. de CRANTZ*, SPIELMANN, & innumeros qui de ejus viribus methodo exhibendi scripserunt Practicos Authores.

**PAPAVERRHOEAS:** capsulis glabris globosis; caule piloso, multifloro; foliis pinnatifidis, incis.

Rhæados flores in officinis inveniuntur; hi SPIELMANNO referente Sæculo XVI. in usus Medicos recepti fuisse videntur; amariusculi, narcotici à LINNÉ. SPIELMANNUS vero flores hos, demulcendo, & relaxando potius, quam propria vi anodyna, in doloribus pectoris, abdominis, & cum acrimonia obtinet, agere credit,

**ARGEMONE MEXICANA:** capsulis sexvalvibus; foliis spinosis,

Planta integra succo flavo scatet.

Flos, capsula, semen, pectorales, anodynæ, somniferæ. Folia externe ad oculorum Inflammationes sedandas, Vulnera consolidanda adhibentur.

**CAMBOGIA GUTTA:** Corolla quadripartita. Calyx quadriphyllus, Pomum octoculare. Semina solitaria.

Gummi-resina in officinis ex hac planta asservatur sub gummi Guttæ nomine; lutea, opaca, nitida, drastica, hydragoga à LINNÉ.

De

POLYANDRIA MONOGYNIA. 163

De gummi hujus generatione multæ apud Antiquos existunt opiniones. Alii enim naturale esse ajunt, alii factitium; quidam ad Esulam referunt. BONTIUS ad Esulæ affinem plantam refert; alii ad flores Ricini Indici; colorem vero ex Curcuma advenire: alii autem à Tithymalo, & Scammoneo derivare conantur: teste DALE.

Nunc scimus plantam, de qua sermo, succum fundere resinoso-gummosum; qui concretus in officinis gummi Guttæ sub nomine venit acris, nauseosus, per superiora & inferiora æque expurgans, hydropicis utilis. In hoc medicamento id tenendum est, quod licet emeticum sit, bis tamen lotum purgans placidum fiat: JONSENIUS *Prodr. Act. Med. Hafniensium* referente *Cel. de CRANTZ*. Medicamentum hoc CLUSIO anno 1603. missum, & Indos hoc ad evacuandos humores aquosos uti, relatum fuit. LOTTIUS qui cum anno 1626. proprium de eo tractatum ediderit, plures sui ævi Medicos adducit, qui eodem cum successu ad Hydropem, Artrithidem, Asthma &c. fuerunt usi. Ad virulentiam medicamenti hujus corrigendam alii Acidum Vitrioli, Acetum alii, adhibuerunt: SPIELMANNUS. Alii vero Salem alcalinum fixum addunt. In arte pictoria pro colore flavo adhibetur.

NYMPHÆA ALBA: foliis cordatis, integerrimis; calyce quadrifido.

L 2

Plan-

164 POLYANDRIA MONOGYNIA.

Plantæ hujus flores, & radicem officinæ sibi vendicant; flores fragrantés, anodyní, hypnotici. Radix acris, vesicans à LINNÉ.

Parisini radices ex Nymphæa lutea defumunt; has AVICENA refrigerare, leviter somnum inducere, dixit. DETHARDING radicibus in longum fissis, & plantis pedum applicatis, Tertianam crebro curatam fuisse, asseverat: SPIELMANNUS.

DIGYNIA.

**P**OEONIA OFFICINALIS: foliis oblongis.

Radix, semina, & flores Pœoniæ in officinis habentur. Planta integra tetra, fœtida; vi narcotica, antispasmodica, anodyna, hypnotica, emenagoga; flores soporifera præcipue gaudent. à LINNÉ.

HIPPOCRATES & radices, & semina tantquam medicamenta uterina, nec non ad referendas viscerum obstructions, adhibuit. Plura superstitiosa absurdaque circa colligendi rationem, tempus, apud THEOPHRASTUM jam inveniuntur. Vide *Mat. Med.* SPIELMANNI.

TRI-



## TRIGYNIA.

**D**ELPHINIUM STAPHISAGRIA: nectariis tetraphyllis, petalo brevioribus; foliis palmatis; lobis obtusis.

Cum multum ad Aconita genus hoc accedat, integrum suspectum censent BOERHAVE, & à LINNÉ. Semina plantæ hujus, quæ in officinis usu veniunt, rugosa, nigricantia, triquetra, saporis acris, & fervidi exurentis, ingrati, & nauseosi odoris. DALE.

Nauseosa, draistica, exanthematica, anthelmintica pthiriaca à LINNÉ. Usus externus olim contra pediculos, acaros subcutaneos &c. etiam in Odontalgia erat.

**ACONITUM LYCOCTONUM**: foliis palmatis, multifidis, villosis.

Maligna est planta hominibus æque, ac aliis animalibus perniciofa: *Raj. hist.* DALE. Malignas vires easdem cum subsequente possidere creditur; tamen ex experimentis ILLUSTRISSIMI L. B. à STORCK mitior omnino est.

**ACONITUM NAPELLUS**: foliorum laciniis linearibus, superne latioribus, linea exaratis.

Planta uti & integrum genus venenatissima, amara, acris, nauseosa, toxica; vi corrodeute, vesicante, excoriante, vomitoria, draistica, convulsiva, vertiginosa, sternutatoria,

pellente, fudorifera gaudet à LINNÉ. Herbam officinæ affervant. Veteres admodum vage Aconiti voce usi, ea diversissimas plantas, & vel Ranunculos indigitarunt; nec ad liquidum deducta est SYLVATICI conjectura, quod Napellus Arabum nostra planta sit. *Mat. Med.* SPIELMANN. Hinc neutiquam omnes, quas Veteres de Aconito habent observationes, hæc adducendas credo.

Ipsa effluvia, & exhalationes plantæ, sive illa à natura producantur, sive ignis ope expellantur; pollen antherarum naribus attractum, aut aliqua alia pars plantæ cuti applicata, nocivos in corpus humanum quoque modo exerunt vires: & licet quælibet plantæ pars interne assumta deleterios producat effectus, vehementissimas tamen, ut experimenta monstrant, vires possidet radix. WEPFER, HILDEFELD, SPRÖEGEL observarunt vomuisse inde; resoluta, & convulsa fuisse bruta; & sic enecatorum animalium intestina ab omni Inflammatione, & erosione libera viderunt. MATTHIOLUS *ad Lib. 4. Cap. 73. Diosc.* adducit experimenta, Romæ sub CLEMENTE VII<sup>mo.</sup>, & Pragæ in hominibus lege ad mortem damnatis cum Aconito instituta; ubi Syncope, Paralyfi, Adfectibus soporosis periisse latrones narrat. Quæ diffuse descripta invenies in laudata jam *Dissertatione Professoris GMELIN, in Dissertatione Medica de vegetabi-*

POLYANDRIA TRIGYNIA. 167

*tabilibus Venenatis Alsatiae Anno 1766.* à FRANCISCO ANTONIO GUERIN. pag. 7. 8. & *ultra.* Hic breviter tantum, quæ P. de ABBANO *Lib. de Venenis Cap. 30.* recenset, adjungam. „ Cui Napelli succus sive ejus fructus, sive ejus substantia data fuerit, in spatio unius diei aut trium moritur, & patitur ante hæc syncopen, & defectum cordis, & denigrationem, & defuscationem paulatim omnium membrorum, & deinde tumet totum corpus, & oculi ejus foras prominent, & linguam in ore continere non potest.

Plantam hanc adeo evidenter perniciosam primus *Illustriff. L. B. A. STÖRCK* in usus medicatos recipere ausus est: quantum vero generi humano invento hoc emolumenti adtulit, qui Librum EJUS de hac planta, qui repetita in diversis Regionibus felicissimo cum successu in indicatis ab *Illustriff. VIRO* casibus pervolvit, protinus agnoscet. In hunc finem legi omnino meretur *Dissert. Medica SAMUELIS ABRAHAMI REINHOLD* de Aconito Napello Anno 1769. *Argentorati edita*, ubi præter plura ad eruditionem Botanicam facientia, Analysis Chemica succi ex planta expressi, inde formati extracti; tum varia experimenta practica a celeberrimis in Arte Viris ad mentem ILLUSTRISSIMI LIBERI BARONIS DE STÖRCK instituta exponuntur.

**ACONITUM ANTHORA:** floribus pentaginis; foliorum laciniis linearibus.

Radicem officinæ passim conservant parvam, crassam, brachiatam, foris fuscam, intus albidam, saporis acris, odoris ingrati. **DALE.** Amara acris, toxica radix; vim purgantem, anthelminticam possidet: à **LINNE'.**

## PENTAGYNIA.

**AQUILEGIA VULGARIS:** nectariis incurvis.

Herba toxica, quæ in officinas cum floribus feminibusque recipitur; vi pellente, exanthematica nota à **LINNE'**: solventes, diureticas vires illi attribuit **DALE.**

Flores dulciusculi sunt, & materiem pro Melle, & Cera apibus suppeditant.

**NIGELLA SATIVA:** pistillis quinis; capsulis moricatis, subrotundis; foliis subpilosifis.

Planta femina officinis largitur acria, fragrantia, toxica; quæ pellente, errhina, sialagogica, sternutatoria, emenagoga, lactifera, anthelmintica vi gaudent à **LINNE'**: in internum nunc vix recipiuntur usum. Olim à **GALENO** ob vires anthelminticas, becchicas, & emenagogas laudabantur. Plures plantam suspectam credunt. Ruricolæ femina hæc loco aliorum aromatum cibus solent adjicere. Aquam cum  
his

his conquassatam scopo errhino in usum trahimus SPIELMANNUS.

## POLYGYNIA.

**A**NEMONE PULSATILLA: pedunculo involucrato; petalis rectis; foliis bipinnatis. *Oed. dan. 153.*

Herba officinalis, olim exoleta, acerrima, toxica, corrodens, rubefaciens à LINNÉ. Radicem acrem esse, & sternutationem provocare, testatur DALE, Integumentis impositam vesicantes, & rodentes effectus edere, MATTHIOLUS quoque monet. A Syrupi ex floribus parati usu Phytisin excitatam vidit HELVING, referente GUERIN. Folia bono cum effectu ad Ulcera inveterata adhibentur, & ad Vulnèra equorum. Flores vero ad viride tingendum usu veniunt. *Cl. GMELIN.*

**A**NEMONE PRATENSIS: pedunculo involucrato; petalis apice reflexis; foliis bipinnatis; *distincta species a præcedenti.*

Apposite hic adnotat in ultima editione systematis a LINNÉ distinctam a præcedenti speciem hanc esse; nam ab Antiquis sæpiissime cum ea, ob maximam similitudinem, confundebatur: unde factum, ut alii admodum acrem, alii non adeo observarint; prout hanc, vel illam plantæ speciem habuerunt. Certissimum enim id est, plantam, de qua sermo, longe

acriorem præcedente esse, & inter omnes con-  
generes acerrimam. Hanc *Illustriff. L. B.* &  
STÖRCK sub nomine *Pulsatillæ nigricantis* in  
officinas introduxit, magna ejus vi ad morbos  
oculorum antiquos curandos detecta. Cujus  
usu multi visum jam a pluribus annis deperdi-  
tum recuperarunt, plurimis levamen adtulit.  
Experimentum pro more suo *Magnus* ille *Vir*  
primo in se *Ipsa* instituit, tum ægris medica-  
mentum exhibuit. Aquam plantæ absque ra-  
dice distillatam emeticam invenit. Metho-  
dus exhibendi, & particulares casus, in quibus  
propinata planta fuit, in singulari de hac *libro*,  
quem erudito Orbi in commune bonum com-  
municavit *Vir Ille Illustrissimus*, legendi.

ANEMONE SYLVESTRIS: pedunculo  
nudo; feminibus subrotundis, hirsutis, mu-  
ticis.

Planta, cujus herbam officinæ recipiunt,  
viribus cum sequenti convenit. DALE.

ANEMONE NEMOROSA: feminibus acu-  
tis; foliis incis; caule unifloro. *Oed. Dan.*  
549.

Flores plantæ hujus sub nomine *Ranuncu-  
li albi* florum in officinis veniunt; planta acris  
toxica, corrodens, cosmetica à LINNÉ. Fo-  
lia ejus officinas Anglicas intrare testatur DA-  
LE, atque acrem, & calidam hanc plantam  
cutim exulcerare tradit; quod de radice præ-  
cipue dici potest, quæ in doloribus dentium,  
ut

ut vesicans, bonos effectus præstat, si mânuj applicetur partis adfecti dentis: *Cl. GMELIN.* Observationes docere hanc plantam bobus præcipue Diarrhæas, ovibus vero Fluxus hepatici speciem, Inflammationes causare. *Onom. Botan.* Quare apposite monet *Cl. GMELIN,* cum planta hæc in pratis frequens occurrere aliquando soleat, non prius falcem in messem immittendam esse, antequam planta hæc penitus emarcuerit. *Sanguinalis.* Veterum herba teste *Illustrif. a LINNÉ Amæn. Acad. 7. p. 428.* nil aliud est, nisi Anemone hæc nemorosa, quam intactam boves relinquunt, qui cum ea adolevere; ast vero e campestribus locis, ubi non crescit, in sylvatica, ubi frequens est, delati, eam comedunt; & Dysenteria inde, ac Hæmaturia contracta, contabescunt.

**ANEMONE APENNINA:** seminibus acutis; foliolis incisis; petalis lanceolatis, numerosis.

Herba, & radix in usum Medicum trahuntur; vi acri pollet; commanducata radix pituitam trahit **Diosc. DALE.**

**ANEMONE RANUNCULOIDES:** seminibus acutis; foliolis incisis; petalis subrotundis; caule subbifloro. *Oed. dan. 140.*

Jam ipsa cum præcedentibus adfinitas, magis vero testimonium **CORDI,** qui ejus petiolos acerrimos, radicem vero venenatam asserit;

172 POLYANDRIA POLYGYNIA.

rit, sufficientia sunt argumenta, ut planta hæc venenatis adnumeretur.

Ut ut flores plantæ hujus acres sint, apes nihilominus materiem pro Cera ex iis colligunt:

*Cl. GMELIN.*

**CLEMATIS VITICELLA:** foliis compositis decompositisque; foliolis ovatis, sublobatis, integerrimis. Folia floralia ovata. Petala deltoidea.

Herba, & semen olim officinalia erant: semen tritum pituitam bilèmq; detrahi; folia illita Lepram purgare, testatur **DALE.**

**CLEMATIS VITALBA:** foliis pinnatis; foliolis cordatis, scandentibus. Variat foliolis integris, & incis. (Exclusa Americana).

Tota planta passim officinalis est: in flore, cortice, semine, radice vis urendi residet; cortex cuti applicatus vesicas trahit. **DALE.** Nihilominus novi plantæ hujus surculi in usum alimentarem, in acetariis, Parisiis etiam trahuntur, qui leniter alvum ducunt. Antiqui Medici purgandi scopo drachmam seminum præscribere solebant. Majori cum securitate folia ad vesicas trahendas in Podagra aliisque casibus in usum trahuntur. Plantas sibi vicinas suffocat. Ex seminibus per experimenta **SCHÆPFI** papyrus mediocris fieri potest. Plura apud *Cl. GMELIN* videri possunt, unde hæc etiam extraxi.

CLE-



POLYANDRIA POLYGYNIA. 173

**CLEMATIS FLAMMULA:** foliis inferioribus pinnatis, laciniatis; summis simplicibus, integerrimis, lanceolatis.

Planta quæ cum præcedenti sæpissime confunditur, convenit etiam cum illa, quo ad utiles, & noxias dotes: GMELIN.

**CLEMATIS ERECTA:** foliis pinnatis; foliolis ovato-lanceolatis, integerrimis; caule erecto; floribus pentapetalis tetrapetalisque.

Herba cum floribus in officinis usu venit; vim urendi cum aliis habet. DALE.

In officinis sub nomine Flammulæ Jovis quærenda, atque de ejus interno externoque usu, *Libellus* de hac *Illustrissimi L. B. a STÖRCK* consulendus: ubi inveteratas diuturnasque Cephalalgias, pertinacissimas Scabies, Arthritides, inveterata, & fordida Ulcera, Cancros &c. interno externoque hujus plantæ usu felicissime, ubi alia remedia incassum adhibita fuere, curata fuisse; quilibet ex adductis numerosis experimentis se se convincere poterit.

**THALICTRUM FLAVUM:** caule folioso, sulcato; panicula multiplici, erecta.

Radix, herba, in officinis nota ob vim incidentem, alvum moventem, urinam cientem. Radix optimum Rhabarbari substitutum esse creditur; unde in Germania Rhabarbarum dicitur DALE. Ejus varietas, quæ Thalictrum speciosum audit, radicem flavam, amaram, viribus

174 POLYANDRIA POLYGYNIA:

ribus cum priori convenientem, officinis dat; hanc Rhizopolæ inepte pro Rhabarbaro venditant, teste laudato DALE.

THALICTRUM AQUILEGIFOLIUM: fructibus pendulis, triangularibus, rectis; caule tereti.

Radicem purgare æque ac Rheum, & tanquam succedaneum quam proxime accedere, à PALMERO nonnullisque aliis fertur. *Amert. Acad. 7. p. 305.*

ADONIS VERNALIS: flore dodecapetalo; fructu ovato. *Jacq. Austr. t. 44.*

Radix plantæ hujus amara est, & acris; venditur loco radicis Hellebori nigri; hanc deleteriam esse RAJUS affirmat. Verrucas æque ac Ranunculus tollit: DALE.

RANUNCULUS FLAMMULA: foliis ovato-lanceolatis, petiolatis; caule declinato. *Oed. 572.*

Herba hæc in officinis passim sub nomine Flammulæ venit (à Flammula Jovis distinguenda) cum reliquis Ranunculi speciebus vi caustica convenit: DALE. Animalibus noxia planta, ovibus, & equis maxime. Cumque acredine sua nulli fere Ranunculorum cedat, facile colligitur, in humanum etiam corpus funestos præstituram plantam effectus; quod ex ejus vi veficas trahendi perspicitur: nihilominus ob ipsam veficantem vim ad Tumores duros, Clavos pedum, Verrucas, & similia, laudatur. *Exsiccatæ radix*

radix multum de sua caustica vi perdit; hinc etiam exsiccatam animalia absque noxa vorant. Acerrimum vesicans mendicis, ut hominum misericordiam in quæstum vertant, adhibetur. de CRANTZ.

**RANUNCULUS LINGVA:** foliis lanceolatis; caule erecto. *Mant.* 407.

Herba quæ officinas olim pharmaceuticas intrabat, cum priore omnino viribus convenit.

DALE. Maxima ejus acredo in foliis, & semine residet. *Cl.* GMELIN.

**RANUNCULUS FICARIA:** foliis cordatis, angulatis, petiolatis; caule unifloro. *Oed. dan.* 491.

In officinis sub nomine Chelidonii minoris radix, & herba plantæ hujus prostant; acrimonia evidenti gaudent: ut GALENUS, dum Chelidonium minus majore acrius esse dixerit, hanc intellexit plantam; quippe, quam recentem, cum in vesicas elevare, *Cl.* KRÄPFF testatur, SPIELMANN. Radix hæc, si sub, vel post florescentiam effodiatur, aut si diu aeri exposita extra terram jacuerit, vel coctione ipsa, integre acredinem hanc amittit; & tunc mucilaginosam evadit: ut BOERHAAVIUS dococtam radicem, sub forma unguenti, ad duas etiam uncias, ad Hæmorrhoides præscripserit bono cum successu. Ex radice sic tractata, ut de Colchico dictum, Amylum confici potest. *Cl.* GME-

LIN.

176 POLYANDRIA POLYGYNIA.

LIN. Folia adeo mitia sunt, ut teste *Illustris.* à LINNÉ variis in locis in acetaria recipiantur hæc remediis antiscorbuticis adnumerata fuisse, Cl. GMELIN affirmat.

RANUNCULUS THORA: foliis reniformibus, subtrilobis, crenatis; caulino sessili; floribus lanceolatis; caule subbifloro. *Jacq. obs. 25. t. 13.* Calix coloratus reflexus.

Omnes hujus plantæ partes vehementi acrimonia scatent; tamen dum semina ad maturitatem perveniunt, caustica foliorum indoles pro magna parte mitescit; & planta exsiccata, acridine sua orba fere ex integro deprehenditur. Hujus externus internusque usus, varia magnaque corpori humano inducit mala. Nonnullorum observata insuperabilem inde Torporem ortum adnotant. Conjecturæ aliquorum plantam hanc esse volunt, cujus succo antiquæ nonnullæ Gentes sagittas suas inficere consueverant, ut sic inflictum vulnus lethale sit. Radices plantæ hujus Afari radices loco, & in Anglia magno cum damno sub nomine radices Gentianæ luteæ venduntur.

Herba officinas Pharmaceuticas passim intrat, vi caustica prædita. DALE. Et monente *Cel. de CRANTZ* Ranunculus Thora omnium venenatissimus est.

RANUNCULUS SCELERATUS: foliis inferioribus, palmatis; summis digitatis; fructibus oblongis. *Oed. dan. 570.*

Vene-

Venenatissima Ranunculi species sub diver-  
 sis nominibus Antiquitati jam nota, & damnata.  
 Sardonia herba, Apium risus, Ranunculus, no-  
 mina sunt, quibus Antiquitas ad designandam  
 hanc herbam usa fuit. Quod venenatam ejus  
 indolem adtinet, AMATVS LUSITANVS *Com-  
 ment. in Diosc. Lib. II.* hæc adnotat. „ Se-  
 „ cundum vero Ranunculi genus Apium risus  
 „ dicitur, vel potius herba Sardonia, quæ ri-  
 „ dendo interficit: de qua APULEIUS dixit,  
 „ si quis eam gustaverit jejunus, ridendo exa-  
 „ nimabitur, unde risus Sardonijs dictus est,  
 „ & ut SALUSTIO placet, nervos labiorum &  
 „ oris musculos illius qui eam comedit, contra-  
 „ here facit, adeo ut ridendo mori videatur.  
 „ Novimus nos, ait *ultra laudatus Auctor* „  
 „ apud Antverpiam hodie omnium civitatum  
 „ facile reginam nonnullos Juvenes Italos in  
 „ acetario herbario hanc degustasse herbam,  
 „ quorum aliqui illico vitam cum morte com-  
 „ mutarunt; alii vero, qui subito ad Antidota  
 „ & medicamenta vomitoria confugere, eva-  
 „ serunt, venefica enim herba hæc est, & vi-  
 „ tæ humanæ adversa. „

PETRUS de ABBANO *Cap. 28. inquit* „ Cui  
 „ datus fuerit Apium risus, facit hominem ex-  
 „ tra mentem, & continuo ridet, propter hoc  
 „ vocatur Apium risus. „ DALE *in sua Phar-  
 „ macologia* „ venenatissima ait herba in offi-  
 „ cinas introducta, integra caustica, ut folia,

M

„ flo-

„ flores, & calyculi recentes illitu exulcerent,  
 „ & crustas non sine dolore gignant. *Cel.*  
*KRAPFF Magni Ducis Hetrurix Archiater*  
 plura in semetipso cum hac planta instituit ex-  
 perimenta, quæ *Cl. GMELIN in laudata jam*  
*toties Dissertatione* adducit. Planta hæc, ut ut  
 venenata, cum successu in Medicina adhiberi  
 potest, ac inprimis vesicantis loco. Aqua in-  
 de destillata acerrima, in Ulcera inveterata si-  
 nuosa, quorum labia callosa sunt, cum bono  
 effectu inicitur. In internum etiam usum trahi  
 potest, saltem herba, & flores; si bini mani-  
 puli in mensura aquæ binis coquantur horis,  
 debite condiantur, tunc non modo gratum fer-  
 culum præbent, sed etiam dulcificantem, tem-  
 perantem medicinam; & quod gratum adtinet  
 saporem, liquiritiæ præferendum: in incipien-  
 te Catharro, Tussi, quæ ab acrimonia irritan-  
 te, vel abrafo muco originem suam ducit, cum  
 effectu adhiberi potest, & varia huc indicata  
 addi. Eodem modo ipse expressus plantæ suc-  
 cus, si centum circiter aquæ partibus diluatur,  
 ut medicamentum aperiens, solvens, penetrans,  
 in variis morbis inservire poterit. Hæc *Cl.*  
*GMELIN. GALENUS* planta hac in morbis cu-  
 taneis interne, & externe in balneo usus fuit.

Radix in Majo effossa, dum planta in flo-  
 re est, potest cruda, tanto magis cocta, satis  
 magna copia absque sanitatis præjudicio come-  
 di: *Cl. GMELIN.* Eadem antiqua, exsiccata,  
 ex-

excocta, acrimoniam suam perdit; ut luculenter appareat, a natura æque, ac Arte mitigari posse plantam; cujus vel vegetantis effluvia, vel sub coctionis tempus avolantes vapores, Inflammationes, Exulcerationes causant.

**RANUNCULUS ACONITIFOLIUS:** foliis omnibus quinatis, lanceolatis, inciso-serratis. *Ranunculus albus*, folio denso. *BAUH. hist. 3. p. 844.* Similis *Ranunculo platanifolio*, sed folia quinque partita ad petiolum usque, & caulis dimidio brevior. *I. B.*

Herba quæ officinas Pharmaceuticas quoque intrat, iisdem cum reliquis *Ranunculis* viribus pollet: *DALE.*

**RANUNCULUS ALPESTRIS:** foliis radicalibus subcordatis, obtusis, tripartitis; lobis trilobatis; caulino lanceolato, integerrimo; caule subunifloro. *Ranunculus uniflorus*, foliis lævibus, semi-trilobis, rotundis serratis; caulinis ligulatis. *Hall. flor. 1167.* Folia similia *Ranunculi aquatilis natantibus*. Calyx reflexus, glaber. Petala alba, biloba.

*Ranunculus alpestris* acerrimus est; Arthritidem vesicatorio ex hoc *Ranunculo* facto curatam habet. *CONSTANT. Med. Helv. Cel. de CRANTZ.* Aqua destillata vehementer alvum movet. *Onom. Botan.*

**RANUNCULUS BULBOSUS:** calycibus retroflexis; pedunculis sulcatis; caule erecto, multifloro; foliis compositis. *Oed. Dan. 551.*

Herba, radix plantæ hujus in officinas Pharmaceuticas recipitur; caustica vi pollet. Radix adurit, exulcerat, pustulas excitat; quære in erodendis, & exsiccandis duris Tumoribus, mirifice conducit; Verrucas pensiles, & id genus vitia tollit; teste TRAGO: perdit tamen hanc vim exsiccata. DALE.

RANUNCULUS ACRIS: calycibus patulis; pedunculis teretibus; foliis tripartito-mul-tifidis; summis linearibus. Hujus varietates esse Ranunculum auriconum, & Ranunculum nivalem, suspicatur HALLER.

Herba officinalis est; planta integra caustica: contusa, recens, si applicetur cuti, Dolorem, & Inflammationem excitat: DALE. Ranunculus acris etiam in vesicatorium vocatus fuit; hoc sanatus arthriticus: *Cel. de CRANTZ.*

RANUNCULUS ARVENSIS: seminibus aculeatis; foliis superioribus decompositis, linearibus. *Oed. Dan. 219.*

Folia, horum expressus succus, flores, ac præcipue germina, maximam possident acrimoniam; ut ex multiplici experientia *D. Archiater KRAPFF* docet: præcipue si tusa fuerint, vesicas in cute adtollunt rubras, Tumorem labiorum, linguæ, & interni oris efficiunt, doloremque immensum; stuporem ingratum dentium causant. Porro radix, & maxime semina, acrimonia gaudent cito evanescente; ut eæ etiam partes, quæ recentes, & crudæ, in sa-tis



tis magno gradu acrimoniam hanc possident, citissime illam per exhalationem perdant. *Cl. GMELIN.*

**RANUNCULUS AQUATILIS:** foliis submersis capillaceis; emerfis peltatis. *Oed. Dan. 376.*

Acrimonia hujus plantæ differt pro diversitate loci, ubi crescit; herba ejus inter dentes contrita, antequam flores prodierunt, & longe magis ipsi flores, vesicas cuti applicati adtolunt; in nasum adtracti vehementem Sternutationem movent. Cæterum planta ad usus Medicos necdum adhibita fuit. *Cl. GMELIN.*

**HELLEBORUS NIGER:** scapo subbifloro, subnudo; foliis pedatis. *Mant. 408.* Folia coriacea.

Helleborum, ab Helleboro fluvio prope Anticyram, ubi optimus crescere credebatur, nomen suum ducere, nonnulli autumant. Niger Helleborus, ut **DIOSCORIDES** testatur, Melampodion à Græcis appellatur; à **MELAMPO** Pastore, qui primus illum invenisse, ac furens **PROETI** filias curasse fertur; cui subscribit **PLINIUS l. XXV. C. V.** ubi ad amussim de utroque Helleboro sermonem habet. An nostra planta Helleborus Antiquorum sit, necdum liquido patet: imo si **DIOSCORIDIS** descriptionem perpendamus, eam plantæ nostræ minime convenire animadvertemus. Nam primo folia Platano similia **DIOSCORIDES** dicit,

aspera, scabra, ubi in hoc glaberrima sunt; flores in caule colligi in racemos; radículas longas atras prodire ex uno eodemque capite; quæ omnia, quoad maximam partem de nostro Helleboro dici nequeunt. Hanc DIOSCORIDIS descriptionem, postquam *Cel. Professor* de JACQUIN cum nostro Helleboro diligentissime contulerit; & ex manuscripto DIOSCORIDIS in Bibliotheca Cæsarea asservato, DIOSCORIDIS Helleborum in Olimpo crescere didicerit; ab Amico suo, tunc temporis Constantinopoli degente, plantam hanc DIOSCORIDIS petiit, & obtinuit, sed absque foliis: radix nullo pacto distingui poterat à radice Hellebori nigri nostratis, nisi solo acriori sapore; hinc dubium semper adhuc manet, quænam sit DIOSCORIDIS planta.

Helleborum Veteribus, in frequenti usu fuisse neminem latet; & eos quoque tanquam medicamentum multum commovens adhibuisse: sed Majorum monumenta circa Helleborum evolventi, probe observandum est, eos crebro non modo album intelligere, sed & diversissimarum plantarum radices sub nomine Hellebori nigri Ipsis venire. Hinc vix Patrum observata indiscriminatim ad nostras radices licet applicare SPIELMANNO testante. Id autem experientia teste notum omnino est, radices plantæ descriptæ, ac præcipue extimum harum radicum corticem, acrem, vehementem, nauseosum esse: quæ,  
vires

vires cum maxime in parte ejus volatili resideant, antiqua radix pro majori parte dotibus his orba deprehenditur. Odor radice vehementer ptarmicus est; hæc ab Antiquis, qui jam ejus vires coctione, Melle, Aceto, & similibus infringere conabantur; sub forma pulveris, haustus, infusi, essentiae, tincturæ, in Furore, morbis Vermium, Hydrope, Febri quartana, Mensibus suppressis &c. sæpe cum fundamento propinata, & laudata fuit. Recentiores etiam Medici, ut MEAD, in Mensibus referendis radicem hanc adhibuerunt; & idem *Auctor* vix unquam se spem in hoc casu fecerit testatur. Nihilominus tamen, usus ejus cautus admodum sit oportet; cum vehementes alvi Fluxus, Vomitus, Inflammationes intestinorum, violentæ Sternutationes, ipsa mors, à præpostero ejus usu sequi visa est: idque in hominibus æque, ac aliis animalibus; equis, porcis, canibus &c. Coturnices hac partæ planta venenatæ observatæ fuere; capræ alvi Fluxus ab ea experiuntur; & hominibus idem accidit, si infusum ejus tantum in Foniculum infundatur.

Externe applicata radix vesicas trahit Setacei loco, aut vesicantis; decocti sub forma ad pediculos enecandos; pessus forma ad Menses provocandos; pulverisata ad labia Fistularum callosa tollenda adhibita fuit. Antiquis succo radice hujus sagittas intingere moris erat.

Magnus adhuc radicis hujus usus est in Arte Veterinaria ad varios animalium morbos,

Porro sicuti de omnibus plantis in genere dictum est, id de hac quoque obtinet; radices hujus plantæ ratione variæ Patriæ varium virium gradum habere. Helveticas radices Hellebore nigri validiores esse quam Anglicas, **GEOPROI** est expertus; easdem in oriente cultas, a nostris diversas, & validiores esse **TOURNEFORT** testatur. Radix itaque plantæ hujus in officinis Pharmaceuticis obtinet; cujus loco radicem Hellebore viridis, minus in his religiosa Rhizotomorum turba, Pharmacopœis sæpenu-mero obtrudere solet; quæ fraus a Botanicis perito, facili negotio eluditur; ob folia copiosiora, magis incisa, petala semper viridia, Vel Adonidis Apenninæ radix ab iisdem, ne Alpes conscendere cogantur, pro radice Hellebore nigri substitui quoque solet; cui adeo similis est, ut Hellebore nigri radix, nonnisi acriori quem possidet sapore, ab hac distinguatur.

**HELLEBORUS VIRIDIS:** caule bifido; ramis foliosis bifloris; foliis digitatis. *Mant.* 408.

Radix, & folia plantæ hujus officinas Pharmaceuticas intrant. Folia adversus Variolas aliosque morbos contagiosos mire commendat **D. JONSON** in cerevisia pota; radix easdem facultates cum nigro habet, & sumuntur indif-

cri-

POLYANDRIA POLYGYNIA. 185

criminatim; purgat inferiorem ventrem; pituitam, & flavam bilem ducit. DALE.

HELLEBORUS FOETIDUS: caule multifloro folioso; foliis pedatis. Folia omnia in caule versus radicem nulla.

Folia in officinas recipiuntur; pulvis foliorum exsiccatorum pauca quantitate verminantibus pueris exhibetur, optimumque, & certissimum remedium vulgo æstimatur. Adnotat autem TRAGUS interne adhiberi non debere; sed ab illo cavendum, tanquam a pestilentissima herba. DALE.

Radix plantæ hujus odoris ingrati, saporis acris, secundum quorundam observationes violententer in corpus humanum, & violentius ipsa radice Hellebori nigri agere solet. Alii volunt Vomitus a radice hac potius excitari; ut verò alvum ducere valeat, Rhei additamento opus habere. In morbis infantum à vermibus, ut excellens anthelminticum laudatur: in pulvere, decocto, succo expresso, & cum Saccharo, & Aceto in Syrupum redacto; ubi quatuor, quinqueve cochlearia coffée de die infanti similis syrupi exhibentur. In Arte Veterinaria maximi quoque usus radix est; ac imprimis setacei loco ejus fibræ per aures perforatas traducuntur. In Delphinatu ut antidotum Hellebori albi ovis exhibetur. *Onom. Botan. Cl. GMELIN.*

186 POLYANDRIA POLYGYNIA.

**CALTHA PALUSTRIS**: Calyx nullus. Petala quinque. Nectaria nulla. Capsulæ plures, polyspermæ.

Herba in officinis habetur; lumborum doloribus propitiam esse **DIOSCORIDES**; herbam causticam Helleboro similem **BOERHAAV. hist. 378. DALE**. Ab animalibus, ut ut acris, & caustica planta, avide expetitur, & absque noxa comeditur: flores necdum explicati ut flores Capparidis condiuntur, & asservantur. *Clar. GMELIN.*

**DIDYNAMIA**

**GYMNOSPERMIA.**

**SIDERITIS SYRIACA**: fruticosa, tomentoso-lanata; foliis lanceolatis, integerrimis; floribus verticillatis.

Folia officinalia sunt: vim habent excaleariam & acrem; Menses & Secundinas pellunt: **DIOSCORIDES**. Planta valde foetens, & graveolens, in Hysteria, & similibus usurpatur. **BOERHAAVE. DALE.**

**ANGIOSPERMIA.**

**PEDICULARIS PALUSTRIS**: caule ramoso; calycibus cristatis, calloso-punctatis; corollis labio obliquis. *Qaed. Dan. 225.* Corollæ purpureæ.

Recens

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA. 187

Recens plantæ hujus herba sub nomine Pedicularis aquaticæ in officinis habetur; planta ingrata, an vulneraria? à LINNÉ. Antiqui Scriptores unanimiter venenatam plantæ hinc indolem adscripserunt. *Cel. GLEDITSCH* hanc acribus causticisque adnumerat. Animalia, si hanc, fame coacta, vel alio casu manducaverint, noxios experimento GUNNERI, effectus experiuntur. *Cl. GMELIN.*

ANTIRRHINUM LINARIA: foliis lanceolato-linearibus, confertis; caule erecto; spicis terminalibus, sessilibus; floribus imbricatis.

Herba officinalis est, hircofo-urinosa, amarifuscula; anodyna, pellente, repellente, ecoprotica, diuretica vi pollet. Muscas ea occidi *Illustriff.* à LINNÉ observavit: qui eandem venenatam credit; HALLERUS suspectam. Ob vim admodum diureticam Hydropicis succurrit; externe vero abdomini applicatur in Stranguria. GUNNER *f. Norv. 89.* In Hæmorrhoidibus cæcis maximæ ejus vires deprædicari solent.

ANTIRRHINUM MAJUS: corollis ecaudatis; floribus spicatis; calycibus rotundatis.

Herba in officinas recipitur; infida est, & ejus vis dubia à LINNÉ. Diuretica præcipue herba, quæ tempore, dum adhuc plenum Imperium superstitio tenuit, contra veneficia, præstigias, maximas vires possidere, credebatur. *Onom. Botan.*

SCRO-

SCROPHULARIA NODOSA: foliis cordatis, trinervatis; caule obtusangulo.

Tetra, foetida, amara planta; vi anodyna, repellente, sudorifera, carminativa, anthelmintica gaudet à LINNÉ. In Hæmorrhoidibus, Scabie, Scrophulis multum laudata. BAUHINUS *hist. III. p. 421.* MORISSON *hist. II. p. 486.*

DIGITALIS PURPUREA: calycinis foliis ovatis, acutis; corollis obtusis; labio superiore integro. *Oed. Dan. 724.* Corollæ venter intus adpersus maculis ocellaribus, Folia rugosa,

Flores, herba in officinas passim recipiuntur; vi emetica, & vulneraria prædita, DALE, Emetica vis vehemens plantæ inest; ejus internus usus alvi etiam fluxus causat; quare hanc BOERHAAVE venenatis adnumeravit plantis. Cl. GMELIN usum decocti interni ex hac planta parati, ad Strumas, & alios Tumores proficuum, novis experimentis commendari refert; cautum tamen ejus usum esse debere monet, cum vel ad septem cochlearia assumptum, sat fortes vomitus excitet. Alii externum plantæ usum laudarunt; tusam nimirum, vel ad unguenti consistentiam cum aliis coctam, & similibus scrophulosis Tumoribus applicatam.

LINNÆA BOREALIS: *Oed. Dan. 3. Act. nidros. 4. t. 4. f. 6.*

Plan-



DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA. 189

Planta ab ovibus non tangitur. Herba ut  
medicamentum specificum adhibetur in infuso,  
vel fotu, vel fumo, contra Febrem Scarlatinam  
& alia Exanthemata singulari effectu. GUNNER  
*fl. Norveg. 37. Illustriff.* LINNÆUS duos sin-  
gulares casus recenset; ubi bini homines intra  
dimidium annum lecto detenti, a doloribus  
Ischiaticis intra triduum decocto hujus satu-  
ratissimo fani facti sunt; sed a decocto hausto  
obdormivere per sedecim, vel viginti horas.  
*Amoen. Acad. 7. p. 492.*

ANACARDIUM BAUH. pin. 581.

Avicennia tomentosa? Linn. Mat. Med.

Ex planta ignota fructum officinæ sub no-  
mine Anacardii orientalis affervant; putamen  
acerrimum, causticum à LINNÉ. Hinc jure  
æque ac Anacardium Occidentale a *Cel. de*  
*CRANTZ* suspectum dicitur.

TETRADYNAMIA

SILIUOSA.

**R**APHANUS RAPHANISTRUM: filiquis  
teretibus, articulatis, lævibus, uniloculari-  
bus.

Semina plantæ hujus acria, cum farina hor-  
deacea in panem cocta, in quibusdam Sueciæ  
Regionibus morbum funestum, Cereali convul-  
sioni simillimum, Raphania ab *Illustriff.* à LIN-  
NÉ nuncupatum, produxerunt. Dira morbi hu-  
jus

190 TETRADYNAMIA SILIQUOSA.

jus symptomata in *Amœn. Acad. Dissert. de Raphania* descripta sunt. Diu multumque causa dirissimi hujus morbi, a verno Frumento producti Medicos latuit; primus *Illustriss. à LINNÆ* institutis observationibus veram detexit: summam rei totius his adjungo.

1<sup>mo</sup>. Morbus recens collecto Frumento originem debet, post enim messem demum exstittit.

2<sup>do</sup>. In Hordeo causa latet; quod illorum immunitas qui Secali passii sunt, nec non exemplum Gallo pavonum, Gallinarum, & Suum, qui eodem Hordeo vescentes, morbo sunt vexati.

3<sup>tio</sup>. Causa intra Frumentum vernum delitescit, nam observatus non est morbus, ubi agri coluntur novales.

4<sup>to</sup>. Plantæ Australiorum Provinciarum, quas in agris Hordeo confitis Vicia dixeris, nec in superioribus Provinciis obviæ, nisi Brassica campestris, Raphanus Raphanistrum sunt, id quod per observationes Botanicas exploratissimum est, quarum illa iners, hic vero acris cuique periculum facienti judicabitur.

5<sup>to</sup>. Acres Tetradynamas imbrifera æstate luxuriare acrioresque fieri omnes confirmant observationes: & morbus nonnisi humida prægressa æstate sævit.

6<sup>to</sup>. Acres Tetradynamæ & in his Raphanistrum systema nervosum tentant, cui rei Armoracia, & Sinapis documento sunt. Atque hæc

TETRADYNAMIA SILIQUOSA. 191

hæc sunt argumenta, quibus collectis legitime *Illustriff. AUCTOR* concludit Raphano Raphanistro causam morbi hujus adscribi debere. Ex his concludere licet; quod etsi plantæ Tetradynamæ, vel cruciformes semper acrimonia gaudeant, hanc augeri posse, à plurimis circumstantiis. Tempestates pluviosæ, loca ubi crescunt, si humida sint, si ad ripas aquarum locentur, hanc valde adaugent. Hinc intelligitur, cur aquosæ plantæ semper sint acriores, cur plantæ primo vere prodeutes, ubi plerumque pluviae abundant, fere omnes acres multæque venenatæ sint. Inde etiam concludere licet, alias quoque Tetradynamas plantas si inter Segetes crescunt, positis omnibus circumstantiis iisdem, eosdem, plus minus absque dubio producturas effectus. Quare hujus etiam rei rationem ab Oeconomiis habendam.

MONADELPHIA  
POLYANDRIA.

**H**IBISCUS SABDARIFFA: foliis ferratis; inferioribus ovatis, indivisis; superioribus septenis, partitis; caule inermi; floribus fessilibus. *Jacq. Obs. 2. t. 35.* Caulis inermis, linea à petiolis utrinque decurrente: Petioli subtus aculeis retro spectantibus.

Bangue Indorum ex Hibisci hujus foliis (teste *HERMANNO in Mat. Med.*) pari fere modo

192 MONADELPHIA POLYANDRIA.

modo confici, uti de Bangu Perfarum, seu Maslac Turcarum, sub Cannabi fativa dictum: vel etiam folia hujus in pulverem teruntur, elixantur cum Oryza in eundem finem, scilicet ad hilaritatem, & Temulentiam inducendam. *Amœn. Acad. 6. p. 184.*

DI A D E L P H I A

H E X A N D R I A.

**F**UMARIA BULBOSA: caule simplici; bracteis longitudine florum.

Radicem plantæ hujus sub radice Aristolochiæ fabariæ nomine habent officinæ: hæc amara, acris, vi emenagoga pollet. à LINNÆ.

O C T A N D R I A.

**P**OLYGALA VULGARIS: floribus cristatis, racemosis; caulibus herbaceis, simplicibus, procumbentibus; foliis lineari-lanceolatis. *Oed. 516.*

Polygalum DIOSCORIDIS, ex descriptione, & viribus, diversissima planta est à nostra. DALE non absque fundamento credit, Corollam junceam *Linn.* DIOSCORIDIS Polygalam esse. Planta, de qua sermo, jam pridem in officinas nonnullarum Regionum recepta; teste laudato DALE. Hujus folia in vino cocta alvum dejicere GESNERUS testatur.

Per

DIADELPHIA OCTANDRIA. 193

Per instituta in Galliis cum radice plantæ hujus experimenta patuit, hanc radici Senega, quæ ex eadem familia est, substitui omnino posse; licet minori cum successu data est in Pleuritide; *Acad. des Sciences 1740.* & nuper non sine successu in variis Nosocomiis Vienneſibus Phtifi opposita fuit. *Cel. de CRANTZ.* Nonnullæ officinæ recipiunt Polygalam amaram in hujus locum, ut efficaciorē magis.

**POLYGALA SENEGA:** floribus imberbibus, spicatis; caule erecto, herbaceo, simplicissimo; foliis lato-lanceolatis.

Senegæ radix in officinis recepta, acris urensque; acido singulari temperata, evacuationes fere omnes adaugere solet; maxime vero Diuresin, & expectorationem; quandoque etiam Vomitum, & alvinam purgationem ciere. à LINNÉ, de CRANTZ. Primus TENENT radice hujus notitiam nobis dedit in *Tractatu anno 1736.* edito. Americanis in ictu serpentis crotalophori specifica dudum fuit; & ex eo, quod hic ictus, homines Peripneumonia perimat, radicem hanc, quacunque ratione inflammatis pulmonibus, medelam allaturam esse, suspicantur Medici; quod dein plurimorum experientia comprobatum fuit: aliis in Hydrope, Arthritide, Podagra, Rheumatismo, incipiente Phtisi non sine successu probata. *Cel. de CRANTZ. SPIELMANN.*

N

Poly-

194 DIADELPHIA OCTANDRIA.

Polygalas nostrates ratione virium ad radices Senega accedere, primus *Illustriff. Du HAMEL* evicit; & experimenta recentissima probant; testante laudato *SPIELMANNO*.

D E C A N D R I A.

**A**BRUS PRECATORIUS: Glycine: foliis abrupto-pinnatis; pinnis numerosis, obtusis. *Spec. Plant. 1025.*

Variat seminibus sanguineis, & albis pulcherrimis, maxime deleteriis. à *LINNE', Syst. Nat. edit. XIII.*

**SPARTIUM SCOPARIUM:** foliis ternatis solitariisque; ramis inermibus, angulatis. *Oed. 313.*

Tota planta, flores, & semen officinalia sunt; vis splenetica, nephritica censetur, hinc & hepatica: calefacit, aperit, attenuat, aquosos humores educit tam per vomitum, quam per alvum, & urinas. *DALE.*

**GENISTA TINCTORIA:** foliis lanceolatis, glabris; ramis striatis, teretibus, erectis. *Oed. 526.*

Flores, & semina officinas Pharmaceuticas intrant, vi pellente, purgante prædita; à *LINNE'*. Seminum pulveris drachma una & semis in substantia propinata, fertur a plurimis tam commode evacuare alvum, ac unquam Helleborus niger. *Amœn. Acad. 7. p. 301.*

Flo-

Flores in decocto purgare, in substantia vero vomitum efficere auctor est ETHMÜLLERUS. Folia exsiccantem amaritiam, saporem acrem, & nauseosum possident. Animalium, quæ planta hac vescuntur, Lac amarum evadit. Maximum in arte Tinctoria usum planta habet; hæc sive recens sit, sive siccata, ad coloranda corpora, flavo viridique colore adhibetur: præcipue vero lana villosioresque panni, hac planta egregie tinguntur. Cum urina, & cineribus clavellatis, dat colorem aurantium persistentem; si cum creta contusa planta, in aqua Calcis, tum denuo cum Alumine coquatur, acquiritur color elate flavus. *Onom. Botan.*

ONONIS ARVENSIS: floribus racemosis, geminatis; foliis ternatis, superioribus solitariis; ramis inermibus, subvillosis.

Ingrata, diuretica, emenagoga planta, in Hydropse, Calculo laudata à LINNE. Post GALLENUM, qui primus vim Calculum comminuendi plantæ tribuit, teste SPIELMANNO fere omnes Medici contra Calculum laudant: nullus vero propria experientia confirmavit. *Magnificus de HAEN Rat. Med. part. VI. Cap. 6. p. 289.* casum refert [curati Calculi a decocto herbæ Ononidis quovis mane assumpto: ac primo quidem spatio longiore, dein levamine insigni inde percepto, quater in anno quatuordecim dierum spatio decocti hujus usu (quod ex pugillo herbæ Ononidis in senti

N 2

libra

196 **DIADELPHIA DECANDRIA.**

libra aquæ pauxillum cocto consistit) continuato.

**LUPINUS ALBUS:** calycibus alternis, in appendiculatis; labio superiore integro; inferiore tridentato. Flores albi. Semina compressa, orbiculata.

Lupini femina officinæ recipiunt; sicca, amaricantia, ingrata, flatulenta, anthelmintica à LINNÉ. Usus eorum Medicus internus multis suspectus ex AVERHOIS opinione, & observatione SIM. PAULI. *Cel. de CRANTZ.*

**LUPINUS VARIUS:** calycibus semiverticillatis, appendiculatis; labio superiore bifido, inferiore subtridentato. Foliola linearia. Flores rubri.

Hujus etiam femina officinalia sunt; viribus cum præcedentis feminibus æqualibus gaudent. **DALE.**

**CYTISUS LABURNUM:** racemis simplicibus, pendulis; foliolis ovato-oblongis.

Folia, & femina officinis dat; purgat per inferiora, & superiora vehementius **DALE.** Hoc præcipue de feminibus observatur.

**COLUTEA ARBORESCENS:** arborea; foliis obcordatis.

Folia, & femina officinas intrant; purgant non solum per inferiora, sed & vomitiones movent; hinc non nisi robustioribus exhibenda **BUXBAUMIUS.** Æque purgat ac Senna. Medi-

Med  
lent.

dunc  
lyce

folii  
Fœr  
utum  
MIT

bus  
vibu

ceut  
libus  
auxi  
DA

P

H  
trigi  
anci

gitur  
cipu

ribu



DIADELPHIA DECANDRIA. 197

Medicamento hoc rustici ut plurimum uti solent. BOERHAAVE, DALE.

**CORONILLA EMERUS**: fruticosa; pedunculis subtrifloris; corollarum unguibus calyce triplo longioribus; caule angulato.

Folia olim officinalia erant. Vulgus hæc foliis Sennæ substituit, ut scribit RUPPIUS. Fœminæ medicastræ vocant *Genesblätter*, & utuntur his loco foliorum Sennæ: BUXBAUMIUS, DALE.

**PSORALIA BITUMINOSA**: foliis omnibus ternatis; foliolis lanceolatis; petiolis lævibus; floribus capitatis. Suffruticosa.

Radix, folia, semen, officinas Pharmaceuticas intrant. Urinæ difficultati, Comitibus, Hydropicis, fœminisque affectibus auxiliantur. Radix alexipharmaca est. DIOSC. DALE.

POLYADELPHIA

POLYANDRIA.

**HYPERICUM ANDROSÆNUM**: floribus trigynis; fructibus baccatis; caule fruticoso, ancipiti.

Folia, flores, semen, planta officinis largitur, partium tenuium Diuresin ciet, ac præcipue in lumbricis fugandis eminet: DALE.

**HYPERICUM QUADRANGULUM**: floribus trigynis; caule quadrato, herbaceo.

N 3

Herba

198 POLYADELPHIA POLYANDRIA.

Herba, flores, semen, in officinis affer-  
vantur: Herba, & flores ejusdem cum præce-  
denti sunt usus: LOBEL. Semen ad Ischiaticos  
affectus utile est; biliosa per alvum purgat.  
DIOSC. DALE.

HYPERICUM PERFORATUM: floribus  
trigynis; caule ancipiti; foliis obtusis, pellu-  
cido punctatis. Antheræ puncto atro. Stigma-  
ta sanguinea.

Herba, flores, semen officinalia sunt, &  
viribus cum Hyperico Androsæmo omnino  
conveniunt: DALE. Hippocrates Hypericum  
abstergendi, & apperiendi ergo adhibebat. Dari  
quoque interne tam vulnerario scopo, quam  
aperiente; & hinc Melancholicis commenda-  
ri, afferit SPIELMANNUS. Galeno ad conso-  
lidanda Vulnera, & Ulcera laudabatur.

HYPERICUM CORIS: floribus trigynis;  
calycibus ferrato-glandulosis; foliis subverti-  
cillatis.

Semina officinas intrant; urinam menses-  
que cient: teste DIOSC. DALE.

S Y N G E N E S I A

P O L Y G A M I A

A E Q U A L I S .

**L**ACTUCA SCARIOLA: foliis verticalibus;  
carina aculeatis. Folia inferiora runcinata,  
obliqua, seu verticalia; caulina superiora,  
am-

SYNGENESIA POLYGAMIA ÆQUAL. 199

amplexicaulia, sagittata; carina lævi; margine scabro.

Herba, & femina, quæ officinas intrant, cum subsequenti viribus conveniunt. DALE. Lacte ut et subsequens scatet amaro, quod efficcatum, rubicundum, inflammabile evadit. *Onom. Botan.*

LACTUCA VIROSA: foliis horizontalibus, corona aculeatis, dentatis. Caulis inferne aculeatus. Folia sagittata, sessilia, margine, & imprimis carina aculeatis. Varietas prioris ex GERARDO, & HALLERO.

Herba, & femina in usum Medicum trahuntur; dolores mitigant DIOSCORIDES. Narcoticam eam esse, & soporiferam; ideo, ut recte observat RAJUS, viribus Papaveri similem; quod fumus ipse Vertigines creans denotat, DIOSCORIDES, & PLINIUS tradiderunt: tum Opii vehemens, & virosus odor, quem planta spirat, abunde id evincit: DALE. Succus ejus inspissatus succi Papaveris locum tenere potest. *Onom. Botan.*

CATANANCHE CÆRULEA: squamis calycinis inferioribus ovatis. Variat flore pleno. Folia cana, fragilia.

Herba officinalis; detrahit bilem pituitosque humores. DIOSC. DALE.

CARTHAMUS TINCTORIVS: foliis ovatis, integris, ferrato-aculeatis.

Nauseosa, luteo-tinctoria planta, Carthami flores, & femina, vi purgante, & diuretica prædita, officinis largitur: à LINNÉ. Florum præcipuus usus est tinctorius; femina vi pituitam viscosam, & aquas vomitu, ac dejectione educendi, gaudent: teste DALE. Multa apud Arabes de seminum Carthami vi alvum educendi mentio fit: eorum successores, ad unciam unam sub forma emulsionis illa adhibuerunt; hodie prorsus eorum usus eviluit: SPIELMANN. Colitur in Ægypto copiosius planta, ubi ter quotannis colliguntur corollæ, quarum magnus in opere tinctorio usus est; quæ insignem mercem Ægyptiis constituunt. Harum corollarum præparandi modus prout FRIDERICUS HASSELQUIST in suo in *Palestinam. itin. parte 2. p. 522. & 523.* reliquit, sequens est.

„ Recentés colliguntur corollæ, collectæ  
 „ inter duo saxa premuntur, ut crudior succus  
 „ exprimatur, qui recipitur; pressæ in aqua  
 „ fontana, quæ in Ægypto salita, lavantur  
 „ plus una vice, quo ipso adhuc succus acris  
 „ restans eliminetur, lavatæ pugillatim aqua  
 „ eximuntur; pugillus quivis manu bene com-  
 „ primitur, & figuram à pressione manus ac-  
 „ ceptam servat. Pugilli compressi supra te-  
 „ sta ædificiorum plana subjectis stragulis arun-  
 „ dinaceis expanduntur, hucusque coloris ci-  
 „ trei; expansi stragulis teguntur die, ne solis  
 „ æstu cito & nimis exsiccentur, nocte nudos  
 „ re-

„ r  
 „ r  
 „ f  
 „ l  
 „ p  
 „ l  
 „ d  
 „ n  
 „ g  
 „ F  
 „ A  
 „ re  
 „ la  
 „ p  
 „ m  
 „ ne

digit

purg  
 lum  
 infus  
 rvs  
 alvus  
 bland  
 una,  
 drop  
 sin e  
 quæ  
 vim

„ relinquunt aeri, & rori expositos. Rore  
 „ madefacti colorem mutant ex citreo in rubro  
 „ flavescentem (flavum) aere nocturno sub ca-  
 „ lido sensim ficcantur, quem in finem sem-  
 „ per adstantes homines sæpiuscule situm pugil-  
 „ lorum mutant, latus inferius aeri exponen-  
 „ do & contra; ficcati servantur usui mercimo-  
 „ nio à Gallis, Venetis, Florentinis, & An-  
 „ glis avide coempto sub nomine *Saffranon*.  
 „ Folia tenera inter acetaria adhibentur in  
 „ Ægypto. Smirnæ in pulverem redacta lacti  
 „ recens multo immittuntur, ad illud coagu-  
 „ landum; qua ratione conficiunt caseum Ægy-  
 „ ptii. Psittaci species Æthiopicæ vescitur se-  
 „ minibus, quæ reliquis animalibus certo ve-  
 „ nenum, illi vero gratissima vesca. „

EUPATORIUM CANNABINUM: foliis  
 digitatis.

Radix, & herba officinas intrat: radix  
 purgans, emetica, diuretica à LINNÉ. Pugil-  
 lum unum fibrarum ex radice hujus herbæ in  
 infuso cum Vino ipse sibi propinavit GESNE-  
 RVUS eo cum successu, ut post spatium horulæ  
 alvus soluta fuerit cum copiosa urina, sed æque  
 blande ac ex Helleboro nigro: radice uncia  
 una, in aquæ unciis octo cocta, valde in Hy-  
 drope purgare dicitur; nimia autem dosis eme-  
 sin efficit. Folia purgant etiam majori dosi;  
 quæ adhucdum satis non est determinata. Ob  
 vim ejus purgandi eximiam unica est planta,

200 SYNGENESIA POLYGAMIA ÆQUAL.

quam SABATHI in *Flora sua Romana* figura illustravit Amæn. Acad. 7. p. 351.

Ad aperienda viscera abdominalia olim laudabatur; ad resarandos Menses, curandam Hydropem commendabatur; extus contra Oedemata, & Hydrocelem in usum trahitur; SPIELMANNVS.

SANTOLINA CHAMÆ - CYPARISSUS: pedunculis unifloris; foliis quadrifariam dentatis.

Amara, fragrans, viribus balsamicis, tonicis, pellentibus, diaphoreticis, carminativis, anthelminticis prædita: à LINNÉ.

POLYGAMIA SUPERFLUA.

**T**ANACETUM VULGARE: foliis bipinnatis, incisis ferratis. Radices calidiore æstate prodit.

Amara, luteo-tinctoria, nidorosa, halituaosa planta. Pellente, sudorifera, emenagoga, anthelmintica &c. vi gaudet. Hyftericis, Hydropicis utilis à LINNÉ. Ad vermes maxime laudari, nec non ad morbos uteri; aperiendi etiam scopo nauseosum hoc medicamentum à quibusdam adhiberi; SPIELMANNUS asserit.

ARTEMISIA ABSINTHIUM: foliis compositis, multifidis; floribus subglobosis, pendulis; receptaculo villoso.

Ama-

Amara, nidorosa, halitiosa planta; vi ant-acida, anthelmintica, stomachica, pellente prædita à LINNÉ. HIPPOCRATES plantam hanc ad Icterus; GALENUS Hypochondriacis laudat. Febres inde curatas ALBRECHT, Ascitem VOLCKAMER vidit, & ad arcendum Calculum præeunte *Illustris.* à LINNÉ laudat. Longo usu Podagram avertisse expertus est HALLER, qui & ejus vires ad Icterus, & Hydropem vidit. EUGALENUS autem antiscorbuticas, ad Vermes necandos nidumque eorum destruendum, non inefficax esse medicamentum, expertus: hæc SPIELMANNUS, qui etiam monet, probe notandum esse, sub ejus usu motum humorum augeri.

ARTEMISIA VULGARIS: foliis pinnatifidis, planis, incis, subtus tomentosis; racemis simplicibus, recurvatis; florum radio quinquefloro.

Amara planta; uterina, pellens, à LINNÉ. Hinc ad mala Virginum, Mulierum, Puerperarum ex retentis Menstruis, vel Lochiis laudatur; potu, fotu, infessu: *Cel. de CRANTZ.* Ejus infusi ope Menses per decennium obstructos curatos fuisse testatur ZACUTUS, SPIELMANNO referente.

Mox ab Orientalibus ad morbos articulo- rum usitata; non tam ratione Artemisæ, quam quia cauterium est, operatur: Idem laudatus SPIELMANNUS.

ERI-

**ERIGERON VISCOSUM:** pedunculis unifloris, lateralibus; foliis lanceolatis, denticulatis, basi reflexis; calycibus squarosis; corollis radiatis. *Mant.* 468. Virga aurea major, foliis glutinosis graveolentibus. *Tournef. instit.* 580. *Vaill. act.* 579. Pedunculi diphilli, uniflori, vix foliis longiores. Flores radiati.

Folia olim officinalia erant: suffitu venenatas planta bestias fugat, culices abigit, pulices necat: **Diosc. Dale.** Acris, & narcotica planta capras, quæ hanc comedunt, interimit. *Onom. Botan.*

**ERIGERON GRAVEOLENS:** foliis sublinearibus, integerrimis; ramis lateralibus, multifloris; *Mant.* 468. Flores radiati.

Herba quæ itidem officinalis est, viribus cum præcedenti convenit. **Dale.**

**ASTER TRIPOLIUM:** foliis lanceolatis, integerrimis, carnosis, glabris; ramis inæqualibus; floribus corymbosis.

Radix ab Antiquis in usum medicum trahebatur in vino pota ad drachmarum duarum pondus; aquam per alvum extrahit urinæque ducit. **Diosc. Dale.**

**INULA HELENIUM:** foliis amplexicaulis, ovatis, rugosis, subtus tomentosis; calycum squamis ovatis.

Radix acris, aromatica, alexiteria, sudorifera, pellens; eximia vi incidendi glutinosa, & stimulandi solida, pollet. In Asthmate, Fluore

re



SYNGENESIA POLYGAMIA SUPERF. 205

re albo, morbis Ventriculi, Cutis, valet: *Cel. de CRANTZ*, qui etiam refert in Tremore a Mercurialibus relicto etiam prodesse. Pulvis radicis hujus prunis injectus, pulices, muscas abigit: à *LINNE*. In Hypochondriacis affectionibus quoque laudatur.

**INULA DYSENTERICA**: foliis amplexicaulibus, cordato-oblongis; caule villoso, paniculato; squamis calycinis setaceis. *Oed. dan. 410.*

Folia Ictericos juvant, Menses trahunt, Stranguriam solvunt *SCHW.* Decoctio herbæ ad urinam ciendam a Vulgo commendatur. In officinis Anglicis male substituitur Arnicæ: *BUXBAUM. DALE.*

**INULA PULICARIA**: foliis amplexicaulibus, undulatis; caule prostrato: foliis subglobosis; radio brevissimo.

Herba ab Antiquis officinalibus adnumerabatur; aperiens, penetrans, extergens, cerebrum purgans, pituitam a capite eliciens, sternutatoria, pulices necans, *SCHW. DALE.*

**ARNICA MONTANA**: foliis ovatis, integris; caulibus geminis, oppositis. *Oed. dan. t. 53.*

Arnicæ herba, & flores in officinis afferuntur; nauuseosa, virofa planta, Vomitus, Cardialgiam, cum periculo movet, *Breslavienses*: etiam valentioribus *GMELIN. Fl. Sib.* Saturatius infusum dolores acerbissimos facit, oleosis

vix domandos; ut in se ipso expertus COHAUSEN: videatur de hac BRUCKNER *Select. Med. Francof. t. 1. & Libellus Cel.* COLLIN.

Vires narcoticas, diureticas, emenagogas, errhinas, à LINNE plantæ huic tribuit.

Primus FEHR ejus insignes vires in effusis aut stagnantibus humoribus non paucis observationibus probavit; quibus plurima nova aliorum accessere. Usus hujus etiam in Arte Veterinaria notus in contusionibus; licet planta hæc pluribus sputum sanguinis causet animalibus. *Onom. Botan.*

**DORONICUM PARDALIANCHES:** foliis cordatis, obtusis, denticulatis; radicalibus petiolatis; caulinis amplexi caulibus. Semina radium nuda. Caulis ramosus.

Licet MARANTÆ figmentum à MATTHIOLLO sustentatum, hanc plantam esse Aconitum Pardalianches Veterum effecerit; ut plures Auctores radices has venenatas justo magis reputaverint; quod falsum commentum experimento SPIELMANNO teste, in se ipso facto refutavit GESNERUS; nihil tamen obest, quin planta hæc, licet non ut dirum venenum, saltem ut subvenenata vi Arnicæ prædita, cum LINNÆO consideretur. Radix in officinas Pharmaceuticas recipitur; quæ ut calefaciens, Tumores discutiens, à SCHRÖDERO laudatur. Vires medicatæ, diversæ plantæ huic adscriptæ, cum nulla observatione sint confirmatæ, hodie evi-  
luerunt.

SYNGENESIA POLYGAMIA SUPERF. 107

luerunt. Flores Ceræ materiem apibus suppe-  
ditant.

TAGETES PATULA: caule subdiviso,  
patulo.

MORISSON *Hist. Oxon.* 3. p. 16. sequentia  
de hac planta habet.

„ Chrysanthemum, quod flos Africanus  
„ dicitur, deleteria facultate esse præditum,  
„ succus ostendit & caput gravans odor. De-  
„ leterias has vires DODONÆUS *pempt. p. 255.*  
„ & 256. experimentis confirmat. “ Memini,  
„ *inquit*, in puero, qui flores mandere ince-  
„ perat, labia, & os inflata me vidisse, sicuti  
„ crebro iis accidit, qui Cicutæ fistulis luden-  
„ tes, aut modulantes, intra labia eas aliquam-  
„ diu continuerunt, feli etiam flores cum cali-  
„ culis recenti caseo permistos, dedimus; quæ  
„ mox valde inflata, & paulo post mortua fuit;  
„ mures quoque, qui semen arrosferant, mor-  
„ tui fuerunt reperti. “ Quæ omnia venenatif-  
„ simam & deleteriam hujus herbæ facultatem  
ostendunt.

MATRICARIA PARTHENIUM: foliis  
compositis planis; foliolis ovatis, incis; pe-  
dunculis ramosis.

Amara, nidorosa, halitiosa planta; ano-  
dyna, emenagoga, lactifuga vi prædita à LIN-  
NÆ. Ictero dicata fuit; menses etiam evo-  
cat, uterum purgat, dolores à partu sopit, po-  
tu, fotu, clysmate: *Cel. de CRANTZ.* Præter  
recen-

recensitas vero jam virtutes, quas planta possidet, purgat per urinam nonnunquam, & per alvum: DALE.

Folia & flores in officinis prostant.

Ruricolæ in animalium etiam morbis hac planta utuntur, præcipue in difficili respiratione, nausea, difficili malaque digestionem. *Onom. Botan.*

ACHILLEA PTARMICA: foliis lanceolatis acuminatis, arguté ferratis.

Folia in officinis usu veniunt, gustu acri, fervido; pulvis horum naribus adtractus, Sternutamenta movet à LINNÉ.

Radicis acrimonia vel odore percipitur; gustata amari, fervidi saporis est; & mansa salivam provocat: olim in doloribus dentium laudabatur. Flores æque ac folia intra digitos contriti, vel in pulverem redacti, errhinæ sunt naturæ.

ACHILLEA MILLEFOLIUM: foliis bipinnatis, nudis; laciniis linearibus, dentatis, caulibus superne sulcatis.

Narcotica planta, inebrians, tonica, evacuationes sistens, in officinis invenitur à LINNÉ. Hæc cum Humulo cerevisiæ injecta, reddit Cerevisiam inebriantem, & potatores fere insanos, *Fl. suec. 2. n. 770. Amæn. Acad. 6. p. 175.* Oleum destillatum florum coloris saphirini, sedans, antispasmodicum est; infusum florum in Spasms, Doloribus post partum, Dolo-

SYNGENESIA POLYG. SUPERFL. 209

Doloribus Cardialgicis, Colicis hæmorrhoidalibus utile; in sanguinis ejectionibus, Hæmorrhagiis majoribus, spasticis viscerum contractionibus, eximium: HOFFMANNUS de *Præstant. Med. domest.* hæc *Cel. de CRANTZ.* SPIELMANNUS vero herbam olim ad pestem præcavendam, *Celebrem* KOELICHEN testem refert: tum STAHL, & HOFFMANNI auctoritate, valde ad Obstructiones viscerum abdominalium, & inde oriundos motus præternaturales sopiendos, fuisse commendatam. IDEM laudatus HOFFMANNUS per longum usum infusi ex Millesolio parati, non paucos ab affectione calculosa, cui diutius obnoxii fuerunt, liberatos vidit, teste SPIELMANNO.

POLYGAMIA FRUSTRANEA.

**H**ELIANTHUS ANNUUS: foliis omnibus cordatis, trinervatis; pedunculis incrassatis; floribus cernuis.

Traumatica planta; hujus semina oblonga, tumidiuscula, & nonnihil compressa, cocta ad Venerem stimulant, & liberalius devorata, capitis dolorem excitant. DALE.

CENTAUREA BENEDICTA: calycibus duplicato-spinosis, lanatis, involucretis; foliis semi-decurrentibus, denticulato-spinosis.

○

Amā-

210 SYNGENESIA POLYG. FRUSTR.

Amarissima planta; balsamica, antacida, tonica, pellens, purgans, sudorifera, diuretica, subemetica à LINNÉ. In decocto calido scopo sudorifero planta exhibetur; hoc in Peste recommendat PALMARIUS, addito aceto; pulvis languenti ventriculo exhibetur; succus subemeticus unciae unius, duarum dosi, decocto, vel aqua stillatitia dilutus, Febribus intermittentibus, Viscerum obstructionibus, Ictero, utilis. *Cel. de CRANTZ.*

CALENDULA OFFICINALIS: seminibus cymbiformibus, muricatis, incurvatis omnibus.

Amara, subnarcotica planta; pelles, emenagogas, sudoriferas, exanthematicas vires possidet: à LINNÉ.

Folia; & flores in officinis asservantur; flores sudores movent, Variolas expellunt, Ictero medentur, Menses cient, partus promovent. DALE. Succus expressus plantæ vesicæ cuti applicatus excitat, Verrucas tollit. *Onom. Botan.*

ECHINOPS SPHÆROCEPHALUS: capitulis globosis; foliis sinuatis, pubescentibus.

Radix semenque plantæ hujus olim in officinis occurrebat; hanc potam copiosum sanguinem per nares pellere, & lienosos evidenter adjuvare; semen vero urinam ciere DIOSC. reliquit. DALE.

ECHI-

foli

cula  
sup

dec

lati  
libu  
Am  
rosi

diis  
fess

ubi

„ f

„ f

„ f

„ r

„ f

„ e

„ e

**T**

foli

finu

SYNGENESIA POLYG. FRUSTR. 211

ECHINOPS RITRO : capitulo globofo ;  
foliis pinnatifidis, supra glabris.

Radix viribus cum prima convenit. DALE.

ECHINOPS STRIGOSUS : capitulis fasci-  
culatis ; calycibus lateralibus, sterilibus ; foliis  
supra strigosis.

Radix Cœliacis efficax est ; urinam ciet ;  
decocta dentium dolori prodest. DALE.

LOBELIA LONGIFLORA : foliis lanceo-  
latis, dentatis ; pedunculis brevissimis, latera-  
libus ; tubo corollæ filiformi longissimo *Jacq.*  
*Americ. 219. t. 27. Mant. 482. Succus cor-  
rosivus.*

Interne Hypercætharfin creat, nullis reme-  
diis cedentem tandemque lethalem. *Cel. Pro-  
fessor de JACQUIN Hist. Americ. Stirp. p. 220.*  
ubi etiam sequentia adjungit. „ Succo ejus in-  
„ secta manus, si oculos fricat labrave, in-  
„ flammationem inducit urentem, cujus inficius  
„ feci experimentum. Equus hanc si comedit,  
„ rumpi medius fertur, unde nomen apud Hi-  
„ spanos sortita est, *Rebenta cavallos*, id est  
„ equorum disruptor.

MONOGAMIA.

**L**OBELIA SIPHILITICA : caule erecto ;  
foliis ovato-lanceolatis, subserratis ; calycum  
sinubus reflexis. *Mant. 482.*

## 212 SYNGENESIA MONOGAMIA.

Lobeliæ hujus radix in officinis Pharmaceuticis invenitur; acris, nauseosa, lactescens, pellens, emetica, purgans à LINNÉ. Saporem Nicotianæ habet, quem degustata diu linguæ impressum relinquit vomitusque excitat. *Onom. Botan.* Ubi etiam describitur methodus exhibendi plantam in morbis Venereis ab Americanis usitatissima, quam hic leviter adjungam. Fit nimirum inde cum aqua potio vehementer purgans, etiam vomitus creans; quæ si justo fortior sit, mortem etiam inducere potest. In hunc finem accipiuntur quatuor, sex, vel & plures radices siccæ, vel recentes, cum aqua decoquuntur, decoctum ægro statim ac evigilat mane hauriendum propinatur; quantitas non determinatur, sed tantum ebibere debet, quantum valet; reliquum per decursum diei assumendo. Si vehementer alvum potio hæc ducere observetur, tunc dein minus saturata fieri debet. Quod diætam ægri attinet, hæc in simplicibus consistat, oportet; a spirituosos fortique potu absterneat est necesse. Tertio die præter internum usum abluendæ sunt eodem decocto etiam partes externæ, malo hoc maxime adfectæ, idque Indies repetendum. Sic progrediendo cura ægri in spatio duarum triumque septimanarum perficitur &c. Curam hanc Mercuriali cura securiorem, & feliciorem asserit CALM. *Onom. Botan.* Verum & hoc medicamentum evacuando tantum curare *Illustriss.*

L.



L. VAN SWIETEN *Tom. V. pag. 576.* refert.

VIOLA ODORATA: acaulis; foliis cordatis; stolonibus reptantibus. *Oed. Dan. 309. Mant. 483.*

Radix an purgans? an emetica?

Semina diuretica, emetica: à LINNÉ, de CRANTZ.

VIOLA IPECACUANHA: foliis ovalibus, margine subtusque pilosis. Viola grandiflora, Veronicæ folio villosa. *Barr. equin. 113. an satis diversa à Viola diandra.*

Ipecacuanhæ radix in officinis notissima, vix aliquot pollices longa, linea vix crassior, varie flexa, substantia extus nigricante, grysea, intus albissima instructa, in rugas circulares efformata, quæ nervum filiformem, lævissimum, luteum ambiunt, ad saporem salinum accedit. SPIELMANN.

Radix hæc familiare, & tutum est emeticum; cocta parum purgat, quæ, magis si coquatur, diuretica, sudorifera, emenagoga evadit: DALE, à LINNÉ, de CRANTZ.

Primus PISO radicis hujus mentionem fecit. GRAS Medicus anno 1672. ejusdem aliquid in Europam adduxit; circa annum vero 1690. quidam mercator magnam quantitatem harum radicum Parisios advexit, effecitque apud Ludovicum XIV. ut experimenta in Nosocomiis copiose cum hac radice jussu Regio instituan.

tuantur. A principio, medicamenti dosis Ludovico aureo vendebatur. SPIELMANNUS, ubi plura de hac radice videri possunt, uti & apud *Cel. de CRANTZ.*

**IMPATIENS NOLITANGERE:** pedunculis multifloris, solitariis; foliis ovatis; geniculis caulinis tumentibus. *Oed. Dan. 588.*

Herba olim officinas pharmaceuticas intrabat; vi diuretica insigni pollet, ut Diabethem etiam inducat. Hanc facultate perniciofa, & deleteria scatere, refert DODONÆUS, DALEGUERIN *loc. cit. pag. 58.* nullo exemplo quantum novit, hanc noxiam invenit.

## GYNANDRIA

### DIANDRIA.

**SERAPIAS LATIFOLIA:** bulbis fibrosis; foliis ovatis, amplexicaulibus; flor. pendulis *Fl. Suec. 819.* Serapias bulbis fibrosis, nectarii labio obtuso, crenato, petalis æquali; fructibus pendulis. *Huds. angl. 341.* Serapias bulbis fibrosis; floribus secundis, labello planiusculo, petalis ovatis. *Scop. carn. 155.* Serapius bulbis fibrosis, caule multifloro, floribus spicatis, nectarii labio petalis brevior. *Ger. prov. 132.* Epipactis foliis amplexi caulibus ovato lanceolatis, labello lanceolato *Hall. flor. 40. Act. Helv. 4.p. 108.* Epipactis seu Helleborine *Cum. epit. 187. Riv. Lex. 1. 6.* Hellebori-

GYNANDRIA DIANDRIA. 215

borine floribus è viridi & purpureo variis, labello acuminato, foliis brevissimis *Hall. helv.* 275. Helleborine latifolia montana *Bauh. pin.* 186. *Folia amplexicaulia. Spica multiflora, longa. Petioli longi. Flores Fructusque penduli. Nectarium lineis nullis.*

Herba olim in officinis Pharmaceuticis aservabatur. Viribus cum Helleboro albo (Veratro albo L.) à quibusdam convenire creditur. *DALE.*

HEXANDRIA.

**A**RISTOLOCHIA SERPENTARIA: foliis cordato-oblongis, planis; caulibus infirmis, flexuosis, teretibus; floribus solitariis. Caulis genicula valde nodosa. Flores ad radicem,

Radix Serpentariæ Virginianæ officinarum ex hac planta defumitur; quæ versus finem sæculi superioris, inter Anglos, & Gallos; sub initium hujus inter Germanos cæpit in usum recipi. Acris, aromatica, diuretica, anthelmintica vi gaudens *LINNÆUS.* Contra Pestem laudat *WILLIS.* Purgantium vim infringere *HARTMANN* refert, teste *Cel. de CRANTZ.* À vi venenis resistendi, in America laudatam radicem, Europæi a virtute alexipharmaca commendant: *SPIELMANNUS.* Vires antisepticas *PRINGLE* vidit. *Idem*

ARISTOLOCHIA PISTOLOCHIA: foliis cordatis, crenulatis, subtus reticulatis, petiolatis, florum solitariis. Bractea cordata, sessilis, parva, insidens basi pedunculi.

Radix plantæ hujus in officinis asservatur; viribus cum reliquis convenit. DALE.

ARISTOLOCHIA ROTUNDA: foliis cordatis, subsessilibus, obtusis; caule infirmo; floribus solitariis.

Radix quoque Aristolochiæ rotundæ in officinis nota, foetida, aromatica, amara, acris, exurens; vim incidentem, vomitoriam, pellem, diureticam, emenagogam, abortivam possidet: à LINNÉ.

ARISTOLOCHIA LONGA: foliis cordatis, petiolatis, integerrimis, obtusiusculis; caule infirmo; floribus solitariis.

Radix plantæ hujus, sub eodem nomine in officinis asservatur; iisdem cum præcedenti viribus gaudet: à LINNÉ.

ARISTOLOCHIA CLEMATITIS: foliis cordatis; caule erecto; floribus axillaribus confertis. *Tipula pennicornis facundat flores* D. SCHREBER.

Radix hujus sub nomine radicis Aristolochiæ vulgaris in officinis habetur; graveolens, amara, acris, pellens, vomitoria à LINNÉ.

## POLYANDRIA.

**A** RUM ESCULENTUM: à caule; foliis  
 peltatis, ovatis, integerrimis; basi emargina-  
 tis.

Arum hoc esculentum, uti & Arum Colo-  
 casia, Africae, & Americae peregrinae, feræ,  
 editur coctum in duplici aqua, vel assatum.  
 Nutrit egregie, sapidissima omnium fertur. Cru-  
 dum, acerrimum, corosivum, & lethale.

*Amæn. Acad. 6. p. 122.*

**A** RUM MACULATUM: à caule; foliis  
 hastatis, integerrimis; spadice clavato. *Oed.*  
*Dan. 505.*

Radix plantæ hujus, & herba officinales  
 sunt; acris, caustica, recens, corrodens,  
 rubefaciens, vesicans à LINNÉ. Majori dosi  
 noxia, etiam lethalis CRANTZ. Ab infuso fo-  
 liorum Vomitum cruentum STEHELINUS,  
 HALLERUS; à majore recentis radice Card-  
 ialgia rapi juvenem vidit ILLUSTRISS. L. B.  
 DE STÖRCK.

Radix hæc in autumnno collecta, uti &  
 integra planta possidet evidentem acredinem,  
 quæ in eadem primo vere effossa non ob-  
 servatur; hæc exsiccata, aut in Vino, vel  
 Aceto macerata, mitior omnino evadit; sic-  
 que ad usus Medicos, vel in substantia, vel  
 alio modo præparata, apta redditur: magno

O 5

cum

cum successu ad fundendam pituitam, ad erigendas collapsi ventriculi vires, obstructions Hypochondriacorum solvendas, Asthmata, Paralyfes debellandas &c. a Medicis adhibetur: cujus etiam externus usus, ad Ulcera inveterata, cariola ossa &c. forma cataplasmatum notus. Expresso radice succo, radix in nonnullis Regionibus in escam cedit; quod alimentum hyemis tempore communissimum habetur, & in annonæ penuria in aliis quoque Regionibus, ubi planta hæc crescit, in eundem scopum, simili modo præparata, secure cedere potest. Nonnulli radicem hanc, succo orbam, Saponi substituunt, aut illam huic immiscent; Amylum ex radice hac parari quoque potest. Folia iisdem, aut minoribus quam radix, pollent viribus. Baccaë in Arte tinctoria ad rubrum colorem conficiendum inserviunt. Succus ex radicibus recentibus expressus, Syrupum violarum viridem reddit, & ab omnibus acidis coagulatur; quibus adfusis, acerrima etiam radix maximopere mitescit. GMELIN.

**DRACONTIUM POLYPHYLLUM:** scapo brevissimo; petiolo radicato lacero; foliis tripartitis; laciniis pinnatifidis.

Spatha longitudinaliter dehiscens, tantum foetorem putridissimi cadaveris spargit, ut olfacientes, adtonitos reddat, & catalepticos; sed quod mirum, cum post aliquot dies farinam ejaculare incipiunt Antheræ, una eademque

GYNANDRIA POLYANDRIA. 219

que hora intoxicatus iste fœtor, totus quantus penitus abolitur. *Hort. clif. p. 434.*

**DRACONTIUM FÆTIDUM:** foliis subrotundis. *An Bothos potius species?*

Una ex maxime fœtentibus plantis ut **KALM** in *suo itin. p. 59.* vix florem præ fœtore se examinare potuisse asserat; & si paulo magis hunc odorasset, dolores capitis se acquisivisse testetur. Folia, quæ flore jam explicato prodeunt, ab animalibus non attinguntur; urfis exceptis, qui dum e domicilio hybernali egrediuntur, plantam hanc avidè appetunt. Quod radicem adinet, hanc **Cel. KALM** ex relatis **Doct̃oris COLDEN** in omnibus casibus, ubi radix Ari maculati, adhiberi posse asserit; ac præcipue in Scorbuto inservire.

**CALTA PALUSTRIS:** foliis cordatis; spatha plana; spatice undique hermaphrodito. *Oed. Dan. 422.*

De planta hac quid *Illustriff.* a **LINNE'** in *sua Fl. Lapp. p. 250.* habet, referre sufficiet.

„ Omnes fere paludes tegit hæc planta in  
„ certis Lapponiæ sylvestris tractibus. Radix  
„ saporis est adurentis, & caustici ignis fere  
„ instar, attamen mirum dictu, ex ea panem  
„ conficere docuit homines dura necessitas. - -  
„ Radices primo vere & antequam folia ex-  
„ plicantur, vel autumno, aliquot jugera e  
„ paludibus limosis facillimo negotio extra-  
„ hun-

220 GYNANDRIA POLYANDRIA.

„ huntur, cum supra terram inque limo fere  
 „ fluido crescant, eradicatæ lavantur, a fibris  
 „ capillaribus liberantur, in sole vel clybano  
 „ exsiccantur, exsiccatæ conscinduntur in fru-  
 „ stula magnitudinis pisi, lapide molari in fa-  
 „ rinam conteruntur. Farina hæc suaveolens,  
 „ & alba cum aqua pura coquitur per horam  
 „ in consistentiam pultis, seu jusculi, deponi-  
 „ tur dein olla cum contento hocce per diem  
 „ unum vel quatuor (quo diutius eo melius)  
 „ aqua supernatans decantatur, residuum ex-  
 „ siccatur acrimonia omni castratum. Hæc  
 „ farina miscetur cum farina cerealium, vel  
 „ Pini, & exinde conficitur panis secundum  
 „ artem. Panis hic albus est dulcis, & gra-  
 „ tissimus præsertim recens. Usus hujus pa-  
 „ nis primarius, & receptissimus apud Westro-  
 „ bothnienses, Ostrobothnienses, & Nova-  
 „ colas Lapponiæ.

MONOECIA

TETRANDRIA.

**B**UXUS SEMPER VIRENS: MASC. Calyx  
 triphyllus. Petala duo. Germanis rudimentum.

FEM. Calyx quadriphyllus. Petala tria.  
 Styli tres. Capsula trirostris, trilocularis. Se-  
 mina duo.

Lignum, folia, sed raro, in officinis repe-  
 riuntur. Ligni decocto Lues Gallica æque  
 cura-



MONOECIA TETRANDRIA. 221

curatur ac Guajaco. *Cat. Angl. p. 48.* rari usus est; sunt qui oleum etiam ex ligno destillant summe narcoticum, quod in verminatione commendatur: SCHROEDER. Folia Buxi inter purgantia recenset FERNELIUS. DALE. Ligni in usu œconomico magnus usus, ob polituram quamdam, quam recipit, & resistentiam vermibus.

POLYANDRIA.

**J**UGLANS REGIA: foliolis ovalibus, glabris, subserratis; subæqualibus. *Mant.* 496.

Cortex arboris, Juli, nuces, nucum putamina externa, eaque viridia, in officinis occurrunt: planta graveolens, amaricans, denigrans, narcotica, pellens, emenagoga, anthelmintica, paralytica: à LINNÉ. Nuces recentes calefacere, ficcare; putamina externa, viridia, vi vomitum leniter movendi, prædita esse; corticem interiorem de arbore, dum adhuc succulentus est, decerptum, siccatum, vomitum sat valide ciere; Julos itidem vomitum excitare, sed lenius; nuces recentes ventrem movere; asserit DALE. Quietam, nec renovatam arboris atmosphæram suspectam esse, practicis observationibus innixus, refert a LINNÉ. Idem in *Mat. Med. Cel. de CRANTZ* confirmat.

FA-

222 MONOECIA POLYANDRIA.

FAGUS SYLVATICA: foliis ovatis, obfolete ferratis.

Nuces, quibus ad faginandos porcos pafsim utuntur, quive ad panificia in annonæ caritate cædere folent, nimium comeftas, vehementer caput tentare, testimonio SCHWENCK-FELD, JOH. BAUHINI, GOTTSCHED, PAULI, BORRICHII, GUERIN affer't. SELIG Hydrophobiam ex ufu fructuum Fagi lethalem enarrat. Noxia hæc vis corrigitur leni toftione, tumque innocue comeditur; quod ruffici Bohemiæ norunt.

MONADELPHIA.

CROTON TINCTORIUM: foliis rombeis, repandis; capsulis pendulis; caule herbaceo. *Burm. ind. t. 62. f. 1.* Calyx quinquephylus. Petala quinque lanceolata. Stamina octo monadelphia.

Planta hæc nonnifi ad externos ufus in Medicina adhibita fuit. Adverfus Carcinomata, Ulcera gangrænosa, strumofosque Tumores à MATTHIOLO laudatur. DALE.

CROTON TIGLIUM: foliis ovatis, glabris, acuminatis, ferratis; caule arboreo,

Acerrima planta, emetica, exurens, drastica. Fructus sub nomine granorum Tiglii vel Tilli; Lignum Pavana, vel Moluccum dictum, officinis largitur. Primus MONARDES semi-

num

num horum in Medicina sub nomine Pinearum purgantium meminit, teste SPIELMANNO.

Lignum spongiosum, læve, rarum atque pallidum, tenui cortice, cinereo obductum; saporis acris, mordacis, caustici, nauseosi; odoris nullius; quod æque ac nuces calefacit, incidit, attenuat, causticæ est naturæ. DALE.

Semina SPIELMANNUS describit mediæ inter utramque Cataputiam magnitudinis, obtuse triangularia, una facie plana instructa; sub cortice nigro, flavo, rufescente, variegato, includere nucleum, eadem acrimonia, ac nuclei Cataputiarum instructum, tenerima cuticula tectum, & ratione virium omnino cum feminibus Cataputiæ convenire. Grana hæc sursum deorsumque movere, & admodum suspecta esse adnotat. *Cel. de CRANTZ.*

**JATROPHA CURCAS:** foliis cordatis, angulatis. Stamina decem.

Semen plantæ hujus pro Ricini majoris femine in officinis substituitur; acre, exurens, drasticum, inflammatorium à LINNE. BAUH. *hist. 3. p. 644.* „ mirifica inquit ut ajunt purgandi facultate prædita sunt hæc femina, „ etiamsi dimidia tantum unius grani pars fumatur, valenter superne & inferne purgare retulatum est CLUSIO “ Vomitus vehementes, æque ac alvi fluxus excitat assumtum hoc semen; ventriculum, intestina inflammat, corrodit; ab Antiquis in Hydrope, femina, horum

rum

224 MONOECIA MONADELPHIA.

rum extractum, pilulæ præscribentur. Venenata hæc feminum indoles à cuticula in horum meditullio hærente pendere creditur; quæ exempta, semina absque ulla noxa assumi possunt. *Onom. Botan.*

**JATROPHA MULTIFIDA:** foliis multipartitis, lævibus; stipulis setaceis, multifidis.

Nuces colore ex albido vehementer purgantes, olim in officinis obveniebant: **DALE. BAUH. hist. 1. p. 322.** „ **MONARDE** teste „ ait nucibus his Indi familiariter se purgant. „ Postea Hispani necessitate compulsi. illis „ etiam purgare se ceperunt non sine vitæ „ discrimine. Pituitam & bilem superne, & „ inferne purgant. Nonnulli tamen earum „ vehementiam assatione infringebant. Coli „ doloribus præsens est remedium, flatus discutiant; & clysteribus injectæ mediocriter „ evacuant. Dosis à drachma semis ad drachmam unam; sed assandæ sunt. “

**JATROPHA MANIHOT:** foliis palmatis; lobis lanceolatis, integerrimis, lævibus. *stam. 10.*

Planta omnium consensu venenatissima hominibus æque ac animalibus; ut **CL. BAUHINUS pin. 512.** **JOH. BAUHINUS hist. 2. p. 794.** testantur. Venenata hæc vis in succo subdulci, viscido, minime acri, quod mirum, residet. Radix, quæ maxime hoc succo abundat, ab Americæ incolis, ut panis sapidus loco inserviat, sequenti

quenti modo præparatur. Arbuscula quæ nunquam ad magnam altitudinem excrescit, cujusque radices non admodum alte terræ infixæ sunt, facili negotio simul cum radicibus elevatur, quæ Betæ radices, & mole, & figura apprime referunt; decorticantur radices, & in vas aqua plenum immittuntur, totæ in lamina cuspidibus aspera, rastrum, vel scobina dicta, raduntur, rasæ linteis exceptæ subjiciuntur torculari, quo a succo liberentur: tum in lamina leni igne breviter tostæ, comeduntur secure ab Americanis, & Europæis. Hæc a CEL. mihi nunquam satis colendo *Professore* de JACQUIN habeo; qui similem farinam ex itinere hucusque, nam per Sæcula durat, asservat. Amplior descriptio cum figuris plantæ, præparationum, æri incisis, videri potest. *In nouveau voyage aux Isles de l'Amérique &c. par Monsieur Jean Baptiste LABAT.*

RICINUS COMMUNIS: foliis peltatis, subpalmatis, ferratis.

Semina plantæ hujus Cataputiæ majoris femina in officinis audiunt; acria, amara, drastica, inflammatoria, gastricantia, anthelmintica à LINNÉ. *Cel. de CRANTZ*, „ Dupli-  
 „ cis *inquit* generis femina asservantur sub no-  
 „ mine Cataputiæ majoris, femina Jatrophæ  
 „ Curcas ut supra monuimus, & femina Ricci-  
 „ ni communis seu vulgaris; utraque admo-

## 226 MONOECIA MONADELPHIA.

„ dum ob exurentem acrimoniam, vim inflam-  
 „ mantem, suspecta.

HIPPOMANE MANCINELLA: foliis ova-  
 tis, ferratis; basi biglandulosis. *Jacq. Amer.*  
 250. t. 159.

Ad venenatam plantæ hujus indolem de-  
 monstrandam, sufficiat *Cel. Professoris de*  
*JACQUIN* Autoptæ testimonium adferre. Qui  
*Select. stirp. Amer. hist. p. 251.* sequentia de  
 hac planta refert „ Tota arbor in omnibus  
 „ suis partibus lacte scatet candidissimo, co-  
 „ piofissimo, valdeque caustico, hinc vene-  
 „ natissimo. Guttula hujus cuti manus impo-  
 „ sita (volam excipio) brevi eandem, ignis  
 „ instar vivi, in vesicam limpha plenam ad-  
 „ tollit; unde ore assumtum, quousque nocere  
 „ possit, destruendo tenella faucium, in-  
 „ ternamque partium integumenta, patet con-  
 „ sideranti. Quandoquidem hoc eodem suc-  
 „ co etiam abundet ipse fructus, facile lar-  
 „ gior, post comestam unam alteramve ejus-  
 „ dem portiunculam aliquos pessime habuisse;  
 „ imo persuasissimus sum, in primis Americæ  
 „ detectionibus id aliquoties accidisse. Quid-  
 „ quid vero asserant Auctores, narrentque  
 „ non raro incolæ, de devoratis tot totiesque  
 „ sine noxa, aut cum noxa integris fructibus,  
 „ totidem fabellas autumo, vel à credulitate  
 „ minusque casuum adtenta exploratione, vel  
 „ à mala fide ortas . . . . Fertur etiam arbor

„ ris

„ ris umbram noxam inferre subtus recumbenti;  
 „ sed per trihorium ipsi mihi cum sociis peri-  
 „ culum facienti, nihil mali evenit. Tum  
 „ etiam pluviam trans hanc arborem cadentem,  
 „ corporeque nudo exceptam, innocuam  
 „ sum expertus: noxia fortasse fuit, ubi rupti  
 „ ventis vel imbribus rami foliave lac simul  
 „ destillaverint pluviae immistum.

„ Truncus praebet materiem, pulcherrimam,  
 „ è fusco & leucophæo variegatam, poliri  
 „ aptam, & ad intestina opera frequens in  
 „ America adhibitam. Solet Arbor priusquam  
 „ cædatur, igne circumposito ad radicem exuri,  
 „ quo à copiosiori succo inferior trunci  
 „ pars liberetur: dein operarii, ne in oculos  
 „ fragmenta infiliant, illos tela linea tenui  
 „ obligant. Integras olim sylvas littorales  
 „ harum arborum incendio consumserunt Martinicenses,  
 „ aliique, ut à tam atroci veneno vindicarent  
 „ Regiones cultas.

„ Fructus, figura, odore, colore, pomum  
 „ parvulum Europæum adeo refert exacte, ut  
 „ quisque rei ignarus deciperetur. Maturi  
 „ fructus ab arbore sponte decidunt. Hos,  
 „ nulli unquam animali tactos invenit *Cel.  
 „ laudatus* AUCTOR; etsi vulgo ferantur amati  
 „ cancris, qui loca fructibus his abundantia, sed  
 „ ob aliam rationem ut *CEL. VIR* opinatur, multitudi-  
 „ ne vix credibili incolere consueverint. Capta  
 „ quidem in Martinica hæc animalia in ha-

rum arborum sylvis, comestaque venenata habentur, & nocuisse aliquoties illa certo constitit. At vero cum in Grenadensi Insula similibus defumta locis, sine metu ullo atque inpune comeduntur; etiam longe rei hujus causam **CELEBERRIMUS** ille **OBSERVATOR** fuisse, cum fundamento suspicatur.

## SYNGENESIA.

**MOMORDICA ELATERIUM**: pomis hyspidis; cirrhis nullis.

Radicem, & extractum officinis largitur; amarissima, nauseosa, drastica, hydragoga, emenagoga, abortiva planta à **LINNE**. Liquida fundens, carnes liquans, drastica, periculosa jam veteribus cognita; ut omnia purgantia valida vocarent *Elateria*: **EROTIANUS**. Ceterum Elaterii parandi rationem **DIOSCORIDES** dedit optimam: *Cel. de CRANTZ*.

**CUCUMIS COLOCYNTHIS**: foliis multifidis; pomis globosis, glabris.

Pulpa, & semina in officinis asservantur. Amarissima, & nauseosa pulpa, drastica, emenagoga, abortiva, anthelmintica vires possidet; hujus cautum usum à **LINNE** inculcat: vehemens hujus agendi vis vel exinde elucet, quod à solo contactu, odore, corpora nostra non absque magna commotione ad alvi exonerationem adigantur; norunt id optime,



ne, quotquot dictum pomum contundunt, per cribrum trajiciunt, vel aliis modis contrectant, SENNERTUS. *Lib. 3. part. 2. Sect. 2. Cap. 4.* novisse se Medicum quemdam meminit, qui quoties pomum Colocynthidis manu sua concludebat retinueratque quoad calefceret, ad alvi exonerationem incitabatur. Idem HOFFMANNUS testatur. *Lib. 1. de Med. officin. C. 9.* LIEBAUTIUS. *De Venenis p. 340.* Colocynthidis pomum intus sumtum, eadem, quæ Euphorbium, mala excitare tradit. Ab eadem assumta, sanguinolenti Secessus, Ulcerum, intestinorum Convulsionum, meminit DIOSCORIDES. TULPIUS. *Obs. Lib. 4. C. 25.* tradit à decocto tium pomorum, Virum quemdam inopem, alvi tardi, vitam cum morte commutasse, SCHENKIUS *Obs. L. 7. de Venenis e plantis p. 980.* à drachma in clystere assumta, per aliquot horas continuas, ingentem sanguinis copiam effluxisse, testatur. Verbo majori dosi exhibitam adeo valide agere, ut gravissima tormina excitet, & ipsum sanguinem ex vasis intestinalibus exprimat, HOYER, STALPART VAN DER WIEL, TULPII, & PLATER observationibus patet.

Extus ab Hippocrate utero ulcerato injiciebatur. Convenienti vehiculo excepta, à quibusdam scopo anthelmintico umbilico infantum imponitur.

Virentis succus intritus Ischiaticis prodest.  
DIOSCORIDES.

**BRYONIA ALBA:** foliis palmatis, utri-  
que calloso-scabris.

Officinæ Austriacæ sub hoc nomine Bryo-  
niam Dioicam, baccis rubris, Europæ calidiori  
& temperatæ propriam, cujus elegantem figu-  
ram *Celeberrimus Professor de JACQUIN FLOR.*  
*Austr.* Tab. 199. dedit, recipiunt.

Radix, baccæ, femina in officinis habentur: planta acris, amara, nauseosa, vim purgantem, pellentem, anthelminticam, emenagogam possidet; a LINNÉ. Jam ab HIPPOCRATE, & GALENO ad usus Medicos adhibita fuit. Ejus radix ab Antiquis æque, ac Recentioribus Medicis in usum externum, imo internum etiam, & aliquando cum successu habebatur: externe Tumoribus præcipue glandulosis applicabatur. ZACUTUS ex hac in oleo cocta, cum Cera, & Terebinthina unguentum conficiebat, ad Tumores Capitis maxime ab eo commendatum. Neapoli ad clysmata adhibebatur, cum malo famen, ob lumbos inde affectos, successu. Interne ut medicamentum hydragogum, vel si mitior reddita fuerit, diureticum, in Hydrope in usum vocabatur. SYDENHAMUS hanc Maniæ; alii Epilepsiæ opposuerunt. NICOLAI saporem, & odorem Opio analogum, plantæ huic tribuit, eamque Opii instar agere credit. Nihilominus planta hæc valide corpus mutat,  
acri-

acriter purgat; ut Hydropicum etiam emungat.  
*Cel. de CRANTZ.*

Hodie medicamentum hoc vehemens, & nauseosum, raro in usum venit præcipue internum, & nonnisi in casibus desperatis, debita cum cautela. Ab Antiquissimis jam, ut innui, inter venena recensita fuit planta. **PETRUS de ABBANO C. 35. loc. cit. ait:** „ cui succus „ Bryoniæ datus fuerit, patietur Scolomiam, „ stoliditatem & angustiam Spiritus. „ Radicem cui Agyrtæ, & impostores, humanæ figuræ similitudinem tribuere sciebant, loco radicis Mandragoræ, tempore ubi adhuc præstigia regnabant, vendebant; alii pro Mechoacanna venditabant. Hæc acredine sua orbari, eodem, quo de Ari macalati radice dictum modo, tuncque ad farinam, ac panem conficiendum apta, evadere potest. **GMELIN.**

D I O E C I A

T R I A N D R I A.

**E**MPETRUM NIGRUM: procumbens.

Baccæ hujus in Kamschatka comeduntur; quamvis compertum sit earum usum capitis dolores causare, quod testimonio *Illustris. à LINNÉ Fl. Lapp. p. 306.* confirmatur. „ Baccæ *inquit*, atræ, licet venenatæ dicantur, „ & reipsa Cephalalgias creant copiosius assumptæ, expertus loquor, *Kappatialmas* tamen

232 DIOECIA TRIANDRIA.

(quæ Ballaria sunt Lapponum à LINNÆO p. 108. l. c. descripta) „ ingrediuntur apud Lap-  
 „ pos, ubi uvæ Corinthiacæ in usu non sunt. „  
 Nonnulli in Scorbuto vim prædictarum bacca-  
 rum extollunt: in Arte tinctoria etiam adhiberi  
 possunt. Groenlandi inde Vini speciem olim pa-  
 rabant, nunc vero Lemonadæ speciem. *Onom.*  
*Botan.*

EXCOECARIA AGALLOCHA: *Masc.*  
 Amentum nudum. Calyx nullus. Corolla nulla.  
*Fem.* Amentum nudum. Calyx nullus. Co-  
 rolla nulla. Styli tres. Capsula tricocca.

Magnam quantitatem succus lactei, acerri-  
 mi, maxime in ramis arbor continet; ut vulne-  
 rata planta, succus vi exiliat maxima, qui cutim  
 immediate attingens, non tantum dolores ve-  
 hementes excitat, sed etiam, maxime si ad ocu-  
 los pervenerit, Inflammationem, Tumores, &  
 nisi citam adferamus opem, Cæcitatem causat.  
 Credunt nonnulli Alœe lignum, quod in officii-  
 nis asservatur, ex hac planta desumi. *Onom.*  
*Botan.*

TETRANDRIA.

**M**YRICA GALE: foliis lanceolatis, sub-  
 ferratis; caule suffruticoso. *Oed. Dan. 327.*

In officinis folia plantæ hujus prostant sub  
 nomine foliorum Myrti Brabanticæ; amara, ni-  
 dorosa, luteo-tinctoria, cerifera planta; vi nar-  
 coti-

DIOECIA TETRANDRIA. 233

cotica, phantastica, cephalalgica, exanthematica prædita: à LINNÉ. Folia ejus ficcare, discutere, lumbricos necare, DALE asserit. Olim foliis plantæ hujus Cerevisiæ condiebantur per Sueciam; nunc autem post largiorem Humuli plantationem, ob Cephalalgias, quas potantibus creat, præsertim minus cocta, exolevit; nec hodie nisi à pauperibus in Provinciis remotioribus adhibetur: à LINNÉ *Fl. Lapp. pag. 298.* Decoctum hujus plantæ ad cimices, & pediculos fugandos inservit; gemmæ florum ad lanam flavo colore tingendam adhibentur. *Onom. Botan.*

PENTANDRIA.

CANNABIS SATIVA. *Rumph. Amb. 5. t. 180.*

Semina, quæ officinas intrant, subrotunda, parva, tenui cortice ex cinereo-spadiceo-lucido donata, includunt medullam albidam, saporis subdulcis; quorum continuatus usus, semen genitale imminuit, Tussi opitulatur, Ictero subvenit, caput vaporibus replet. *Schröder. DALE.*

*Bangue Indorum* eandem esse plantam cum Cannabi sativo *Illustris.* HALLERUS credit, Quem secutus, pauca hic loci de hac dicenda censui.

Plantæ, unde *Bangue* Indi parare consueverunt, in officinis olim reperiebantur frag-

menta foliorum cum suis pedunculis; & femina  
 splendentia, cinerei coloris, magnitudine, &  
 forma Cannabis feminum. Infatuat ut Opium,  
 somnum conciliat: multorum consensu ad Ve-  
 nerem stimulam, magnæ esse efficaciam cre-  
 ditur. Verum enim vero perniciofa est planta,  
 & non sine periculo fumenda DALE. CHRIST.  
 A COSTA. *Libr. Arom. Cap. LIV.* „ Ban-  
 „ gue simile est Cannabi ait, cujus DIOSCO-  
 „ RIDES *Lib. 3.* meminit, caulem habet quin-  
 „ que palmarum longitudine, quadrangulum,  
 „ colore dilutius urente, fructu contumacem,  
 „ nec adeo concavum ut Cannabis caulis, cujus  
 „ cortex non minus quam illius in fila duci  
 „ potest; folia Cannabina superne virentia, in-  
 „ ferne incana, lanugine pubescentia, gustu  
 „ terrestri & insipido; semen Cannabino minus  
 „ neque adeo candidum. Indi semine & fo-  
 „ liis vescuntur, tum ut validiores in re vene-  
 „ na fiant, tum ad excitandam cibi appeten-  
 „ tiam. Fit ex hoc Banguè compositio vulga-  
 „ ris admodum usus in iis Regionibus ad varios  
 „ effectus, etenim Magnates, & Militiæ Præ-  
 „ fectioni, ut laborum obliu, securius & libe-  
 „ rius dormiant, seminis & foliorum in pulve-  
 „ rem redactorum, quantum videtur fumunt,  
 „ illique addunt Arcam, sive Avellanam indi-  
 „ cam viridem, & Opii nonnihil pro arbitrio,  
 „ omnia Saccharo excepta devorant: si vero in  
 „ somno varias rerum species sibi observari cu-  
 „ piunt,

„ piunt, addunt selectissimam Camphoram Ca-  
 „ ryophillos, Nucem Moschatam & Macis: si  
 „ vero hilares esse volunt, & faceti ac præfer-  
 „ tim in Venerem proclives, Ambaro, & Mo-  
 „ scho additis Saccharo excipiunt & Electua-  
 „ rium faciunt; “ hucusque a COSTA. CLU-  
 „ SIUS vero *plantam Hist. Lib. II. p. 238.* ex  
 succo foliorum, & seminum Banguæ confici ait.

„ Coquitur autem hic succus é foliis contu-  
 „ sis interdum ex semine, cui nonnulli admi-  
 „ scent varia aromata plerique Opium. Nullam  
 „ vero ex eo aliam utilitatem capiunt, nisi quod  
 „ in extasin quodam modo rapiantur atque omni  
 „ sollicitudine liberentur, tenue quiddam ri-  
 „ dentes. Etenim ejus usus primum excogi-  
 „ tatus esse dicitur, ut Imperatores exercitum,  
 „ & militares qui perpetuis vigiliis torqueren-  
 „ tur, hoc Banguæ aut Vino, aut Opio epoto,  
 „ veluti ebrii ferrentur, & omni velut sollici-  
 „ tudine, & labore soluti altius dormirent.

„ HUMULUS LUPULUS: MASC. Calyx  
 quinquephyllus. Corolla nulla. FOEMIN. Ca-  
 lyx monophyllus, oblique patens, integer. Co-  
 rolla nulla. Styli duo. Semen unum, intra ca-  
 lycem foliatum.

„ Turiones tanquam olus in usum trahuntur;  
 „ iidem non male ad juscula Medicata aperientia  
 recipiuntur. Strobili amaritie sua, & aromate  
 primas vias roborant, humores resolvunt, ob-  
 structa resarant, solida stimulant, & urinam mo-  
 vent.

vent. **SPIELMANNUS.** Strobilos hos qui in officinis Coni audiunt, amaram, nidorosam, tonicam, anodynam, phantasticam vim possidere **LINNÆUS** testatur. Cerevisiæ additi ejus mucilaginem temperant, illam diutius conservant, & vim inebriantem ei impertiuntur. Folia, quæ cum Turionibus easdem possident vires, interne in lienis, intestinorum Obstructionibus; externe vero scopo anodyno ad Dolores sedandos etiam podagricos; in Luxationibus, Contusionibus, Tumoribus Oedematosis &c. usu veniunt.

Ex caulibus rite præparatis tela rudis confici potest; quæ non adeo alba, quam ex Lino, vel Cannabe, ast fortior erit. Radix aperiens, & sudorifica, in capillorum à Labe Venerea defluxu laudatur.

## H E X A N D R I A.

**T**AMUS COMMUNIS; foliis cordatis, indivisis.

Radix olim officinalis erat: cui exulcerantes vires inesse, **GESNERUS** ait; venenati quid habere creditur **DALE.** **DIOSCORIDES-GALENEUS, MESUE,** iisdem, ast mitioribus paulo ac Bryonia alba, viribus pollere, asserunt.

ENE.



## E N E A N D R I A.

**M**ERCURIALIS PERENNIS: caule simplicissimo; foliis scabris. *Oed. Dan. 400.*

Herba olim in officinis occurrebat. Hæc quamvis PRÆVOTIO, MORISONO, aliisque, easdem cum subsequente vires obtinere dicatur; effectus tamen, quos in nonnullis prope Salopiam eam comedentibus produxit planta, eam soporiferæ, & malignæ qualitatis participem esse, evincunt. Planta est venenata; male itaque pro officinarum Mercuriali hanc offert RACHFELD, in *Hodego suo Botanico* p. 23. BUXB. DALE.

Ob vires stupefacientes, narcoticas, soporiferas, hominibus, ac animalibus lethalis. *Onom. Botan.*

**MERCURIALIS ANNUA:** caule brachiato; foliis glabris; floribus spicatis.

Herba in officinis usu venit: hypnotica, alvum movens, bilem, & aquas purgans &c. à LINNÉ, DALE. Juniorem avibus lethalem; adultiori, teriacam antidotum esse. *Acad. N. C. V. 10. Cel. de CRANTZ.*

## D E C A N D R I A.

**C**ORIARIA MYRTIFOLIA: foliis ovato-oblongis. Coriaria hermaphroditica. *Tur. far-*

*farset. 13.* (fæmina) Fæmina gaudet antheris sterilibus. *Ger. 341.*

Planta ad densanda folia ab Antiquis adhibita fuit: ut BAUHINUS *hist. 1. p. 560.* testatur. "Ufus nullus plantæ hætenus innotuit præterquam ad coria firmanda; quo nomine notissimam & usitatissimam cunctæ Narbonæ dicit. LOBELLIVS. A LINNÉ *Hort. Ups. p. 299.* vim singularem inquit producendi Epilepsiam detexit *Illustriff. Medicus D. D. SAUVAGESIVS*; quocumque modo & à quocumque animali assumitur. Hominibus à quibus incaute assumitur, Epilepsiam non chronicam, ast lethalem infert; ut ex pluribus experimentis compertum est. Italicas tamen Capras libenter, & absque ulla noxa comedere fertur. In baccis fortius adhuc venenum residet. *Onom. Botan.*

## D O D E C A N D R I A.

**M**ENISPERMUM COCCULUS: foliis cordatis, retusis, mucronatis; caule lacero.

Cocculi indici fructus in officinis reperitur figura reniformis, viribus venenatis, phthiriæ præditus. RUELLIVS inter primos Cocculorum mentionem fecit, quos primi Veneti Europæ intulerunt; eos venenatos apud homines effectus edere, nulla, quantum ego saltem novi, observatio probat, inquit SPIEL-

MAN-

MANNUS. Qui etiam refert RUMPH catharticos esse expertum. Eorum pulverem, locis quos pediculi infestant, inspergi; nec non ad capiendos pisces recipi; quippe qui inde Vertigine corripi, & supra aquam natare dicuntur, ferunt.

## M O N A D E L P H I A.

**T**AXUS BACCATA: foliis approximatis.

Diversas jam antiquorum Auctorum de plantæ hujus venenata indole, opiniones recenset SCHENKIUS. Sic venenatam ejus indolem probant PLINIUS *l. 16. Cap. 10.* DIOSCORIDES *l. 4. Cap. 75.* MATTHIOLUS *Comment. ad idem Diosc. Caput IDEM comment. ad Caput 12. l. 6.* PLUTARCHUS vero *3. Sympos. Comment.* Taxum eo tantum tempore noxium scribit, quo jam florere incipit: PETRUS PENA *in Advers.* in Anglia innocuum prorsus decernit. In Belgio minus etiam arbor hæc perniciosa est, & umbra periculo caret. DODONÆUS *pempt. 6. l. V. Cap. X.* THEOPHRASTUS *Hist. plant. Lib. 3. Cap. X.* Fructus inquit ab aliquibus hominibus manditur, & innocuus est, reclamantibus DIOSCORIDE, & PLINIO ad eundem THEOPHRASTI locum. Cuiam plantæ hujus parti insit, quonam ejus vitæ tempore prædominet, vel an ulla unquam

ve-

venenata indoles in hac observata fuerit, determinare non audeo. Id certum est, hic etiam baccas plantæ hujus, quæ copiosa in hortis ad ambulacra formanda adhibetur, a pueris impune comedi.

## P O L Y G A M I A

### M O N O E C I A.

**V**ERATRUM ALBUM: racemo supra decomposito, corollis erectis.

Hæc planta est, quæ officinis radicem Hellebori albi largitur; acris, nauseosa, drastica, emetica, sternutatoria à LINNÉ. Figura radicis oblonga, aliquando pollice major, foris fusca, intus alba, numerosis albicantibus fibris stipata; ob violentiam purgationis tam per superiora, quam inferiora, usum purgandi internum, soli fere Helleboro nigro relinquit; extrinsecas Sternutationes movet, Scabies, Impetigines, & Serpiginis sanat. DALE.

Malignum, & ex communi consensu noxium, improprie sic dictum Helleborum, plurima testantur exempla; sic dum contunderetur Helleborus albus, adstantes purgati sunt: BOYLE. Plurima venenatam Plantæ hujus indolem confirmantia exempla apud GUERIN *loc. cit.* pag. 69. videri possunt. „ Regius Princeps a „ scrupulo Hellebori albi assumpto, intra tri- „ horum convulsus periit, HELMONT; a scrupulo „ pulo

„ pulo Convulsiones notæ *Ephem. Acad. N.*  
 „ C. Canis eadem dosi ad ultima deductus  
 „ WEPFER; ab hoc multi strangulati FAL-  
 „ LOPIUS; etiam in discrimen ab admodum  
 „ exigua dosi deductus, in audaci experimento  
 „ ipse GESNERUS. Multos tamen sine noxâ  
 „ in pratis plantam comedere HALLERUS vi-  
 „ dit. “ *Hec Cel. de CRANTZ.*

KALM in suo *itin. part. 3. p. 60.* sequen-  
 tia de hac planta habet. Venenata est planta;  
 hinc a nullo animalium attingitur; tamen ali-  
 quando occidit; ut dum pascua adhuc fere nu-  
 da sunt, magnitudine maturitateque jam tunc  
 temporis foliorum decepta animalia ea come-  
 dant; unde mors aliquando prædictorum ani-  
 malium evenit. In decocto radicis jam refri-  
 gerato per aliquot tempus relicta, ut molle-  
 scant grana, sata dein, ab avibus agros deva-  
 stantibus non attinguntur; binis enim vel tri-  
 bus granulis comestis, stupidi, ut & temulenti  
 evadunt; reliqui id videntes illico a simili cam-  
 po recedunt, & semina intacta relinquunt. Ma-  
 gna porro cura habenda est, ut nullum dome-  
 sticorum animalium grana sic præparata tangat:  
 si enim unum vel duo tantum similia grana gal-  
 lina deglutierit, ab his admodum afficietur;  
 quod si commoditatem habuerint plus de si-  
 milibus granis comedendi, tum somno corri-  
 piuntur prædictæ gallinæ profundo, numquam  
 jam amplius deponendo. Radix effossa cruda

Q

reli-

relicta a nullo animalium tangitur; cocta si fuerit, dulciusculo sapore allicit. Canes vel a pauca quantitate radicis hujus pessime adfecti visi sunt, & nisi vomitu a veneno hoc liberentur, vitam etiam perdere coguntur. Nonnulli consueverunt radicis decocto partes scabiosas abluere, quod dolorem quidem aliquem caulat, imo fortiter urinam pellere solet, æger tamen sic sanitati restitui fertur. Ad pediculos fugandos in decocto radicis intingitur sæpius pecten, quo pectuntur capilli: remedium hoc unum ex efficacissimis in hoc casu est.

SABADILLA AN VERATRUM? *Mat. Med.* 233.

Hujus femina in officinis inveniuntur acria, amara, caustica; quibus vis draistica, vomitoria, phthiriaca, toxica inest: à LINNÉ. Sunt folliculi oblongi, flavescentes, triloculares; in quibus femina hærent nigra, acuta, fervidissimo sapore linguam ferientia.

Planta unde desumitur nos latet; adfertur ex Regno Mexicano. VANDER BECK *anno 1727.* medicamento hujus mentionem fecit; ast acerrima substantia, hætenus vix ad alios usus, quam ad necandos pediculos fuit adhibita; quo scopo sive axungia recipitur, sive sub forma pulveris inspergitur: SPIELMANN. *Cl. PLENK* aliquem Maniacum inde evasisse scribit.

In Affectibus nephriticis ad drachmam unam intus sumtam profuisse RANSON testatur.

ATRI-

POLYGAMIA MONOECIA. 243

**ATRIPLEX HORTENSIS:** caule erecto, herbaceo: foliis triangularibus.

Herba, & semina Atriplicis fativæ in officinis asservantur; venenata indoles feminibus tantum inest; quæ purgantia, & emetica valde sunt; herba enim oleracea est, & per id anni tempus, ubi folia Betæ nondum germinarunt, illis substitui asserit **SPIELMANN**.

Hanc ventriculum gravare, & exiguum alimentum præbere, **GALENUS** habet; illis maxime, qui alvum strictam habent, laudatur.

MISCELLANEA E.

**A**GALLOCHUM: *Mat. Med.* 236. Aloës lignum in officinis habetur lactescens; medullium trunci amarissimum, venatissimum, excorians, inebrians, anthelminthicum. Advenerunt ad nos sub hoc nomine frustra lignosa, variæ magnitudinis, & crassitiei, ponderosa, colore badio, aut nigro tincta, striis nigricantibus distincta, aut refinam nigricantem parum sapidam in sinibus quasi exesis vehentia; quo plus resinæ hæc frustra vehunt, quo magis ponderosa sunt, quo evidentius badia, vel nigra, eo reputantur meliora. **SPIELMANNUS**. De Arbore, unde lignum hoc desumitur, nihil certi constat. Cum lignum Aloës, uti nonnulli autumant, adeo diversum sit, facile patet, ratione ejus principiorum, etiam multum

differre. De variis ligni hujus speciebus, qui plura desiderat, adeat *Pharmacologiam DALE. p. 379.* Tum *Hist. Plant. JOAN. RAJ.*

## C R Y P T O G A M I A.

**S**ecunda hæc generalis divisionis Sexualis plantarum Systematis pars, medietatem fere Vegetabilium continens, in quatuor prima Capita dividitur; quarum primum FILICES, secundum MUSCOS, tertium ALGAS, quartum FUNGOS complectitur.

Integra, quod vires adinet, suspecta à LINNÆO habetur; qui totam Cryptogamiam, Vegetabilia sæpius suspecta continere, in *Dissert. sua de Viribus plantarum §. 354.* profert.

Et re ipsa vix ulli FILICES eduntur, sed occidunt vermes, male olent. MUSCI vix ulli esculenti sunt. *Hasselq. de Virib. Plant.*

FUNGI Romanorum deliciae, Deorum cibi à NERONE appellati, PLINIO non absque causa anceps cibus. „Familias enim ait (1) „interimere, & tota convivia.... quævo- „luptas tanta ancipitis cibi? „De his itaque cum culinas intrent, & Magnatum apponantur mensis, pauca notanda censui.

FUN-

(1) L. 22. C. 23.



FUNGOS à funere nonnulli, ut THEOPHRASTUS (2) nomenclationem suam ducere crediderunt; eo quod suos amatores, in vitæ discrimen conjiciant, & funera minitentur: Ethimologiam hanc, ut ut forte à longe petita sit, quotidiana confirmat experientia; quamvis enim nonnulli Fungi fatis tuto edantur, vel optimi tamen, ab omni venenata labe immunes non sunt: ut DIOSCORIDES (3) GALENUS (4) testantur.

Coctio, condimenta, aromata, multum venenorum vires enervant; pinguis, oleosa, butyrea insigniter eorum stimulum obtundunt; quid mirum igitur, si sic præparati Fungi minus noceant? Quamvis GALENUS (5) aperte dicat, quibusdam fuisse Cholerae morbi causam, licet rite præparatos. Idem RUDIUS (6) SENNERTUS (7) confirmant.

Plena sunt monumenta Medica exemplis infeliciam effectuum à Fungis comestis secutorum. Somnum lethalem inductum fuisse, ut nec ferramento ardente ad verticem, & occiput admoto excitari potuerit æger, VIDUS VI-

Q 3 DIUS

(2) L. 1. f. 24.

(3) L. 4. Cap. 83.

(4) L. 2. Cap. 68.

(5) L. de bon. ac mal. suc. Cap. 4.

(6) De morb. ocul. ac venen. lib. 3. Cap. 6.

(7) Instit. Med. L. 4. part. 1. C. 3.

DIUS (8) refert. Idem (9) Delirii non furiosi quidem, sed ridiculi meminit. FORESTUS (10) Fungos comestos Insaniam induxisse narrat. Idem (11) Convulsionum morbiq̄ue ab eadem causa periculofiffimi exempla profert. Quin imo FABRICIUS HILDANUS (12) pessima quædam memorat symptomata; quæ alicui, qui manibus tantum Fungos versaverat, accidere. FORESTUS (13) odore solo nonnunquam illos Comitialis, similive male adfecti cerebri, morbi, imo subitæ quandoque mortis exstitisse causam scribit. PETRUS de ABBANO (14) palam profert: „ si odoraverit malum Fungum „ & tubera, mala patietur, Epilepsiam, & „ fortassis morietur. “ RAZES Fungos recenset, qui naribus admoti præsentaneam adferunt mortem. Verbo tot tantaque mala ex hoc capite emanarunt, ut operæ pretium esse crediderim, differentias, quantum ex experientia observationeque Integerrimorum Virorum constat, bonos inter, ac malos Fungos hic

(8) Medic. part. 2. Sect. 2. t. 2. C. 3.

(9) Ibidem.

(10) In Schol. ad Obs. 116. l. 10.

(11) Ibidem.

(12) Obs. 35. Cent. 4. p. 317.

(13) De Venen. p. 36. Obs. 11.

(14) De venen. remed. Cap. 42.

hic apponere; ut qui miseri, annonæ penuria, ad hunc capiendum cibum adiguntur, qui opulenti, voluptatis excessu in tam accipites dapes desiderio feruntur, à magis noxiis absolute abstineant; minus noxiis moderate, & cum cautela fruuntur.

Fungos omnes suspectos, ut optimis etiam male credatur, hucusque ex universali Celeberrimorum Auctorum observatione, demonstrare annisui fui; quo vero venenatos à minus noxiis discernamus, ultro rem perquirere, necesse est: ita tamen, ut omnia hæc observationem, & experientiam pro fundamento habeant. Ac imprimis quid Antiqui hac de re sentiant videndum.

Fungi, ut STALPART WAN DER WIEL *observ. LV.* habet, vel ex ipsa origine nature sue maligni sunt, vel aliunde fiunt. Ex origine maligni, si citissime, ut contingit, unius sæpe noctis tantum spatio, e crassiore quadam terrenaque, ac vaporibus referta nascantur materia; ita ut nec internus calor, nec aër, maturitatem iis adferat. Maligni sunt ex natura sua, qui ex infecto malignoque succo, nec non ex putredine proveniunt; unde & mucoris terrestres nomine quandoque notantur, sæpiusque per microscopia mucidi apparuere; certissimo indicio omnes malignos, ortum suum incrementumque, terrestribus, mucidis, ac prævocatis corruptisque particulis debere; tum

ipsa spongiosa Fungorum substantia, illos noxios ex natura efficit.

Aliunde vero maligni fiunt, si eos serpentes, bufones, araneæve, aut alia venenata animalia inquinent; vel herbæ arboresque in propinquo crescentes, aut ex infectis locis maligni adsurgentes vapores contaminent. Hos autem omnes suadente GALENO ne tangere quidem præstat.

Præmissa hac universali Fungorum magli-  
gnorum à STALPART WAN DER WIEL in-  
stituta divisione; ad eorum distinctiones à  
minus noxiis, gressus facio; ubi *Sapor*, *odor*,  
*color*, & *locus*, tanquam certissima criteria utram-  
que paginam faciunt.

Fungi, queis tanquam cibo, aut condi-  
mento utare, nihilque subsit mali, *Idem WAN*  
*DER WIEL* loco citato ait, dum sunt gene-  
rum: vel Fungi pratenses, de quibus TORA-  
TIUS (16)

„ Pratensibus optima fungis.

„ Natura est.

Vel Boleti, ob medii, rotundi boli figu-  
ram, quam præferunt, Antiquis sic dicti;  
licet & his, nisi percoctis, virus inesse, PAU-  
LUS AEGINETTA (17) credat, dum ait:

„ *Lauta*

(16) Lib. 2. Sect. 4.

(17) L. 1. C. 77.

- „ *Lauta decent nitidæ Boleti fercula  
cœna*  
 „ *Sed nisi percocctis virus inesse puta,*  
 „ *Cui pituita placet, vel inani frigida  
succo*  
 „ *Pectora fungorum millia multa voret.*

Boni vero, à malis fungis, visu, & odore etiam distinguuntur: quibus bonus, vividus acidulusque odor est, quique fracti candidantis firmiorisque sunt substantiæ, omnium longe optimos censet WAN DER WIEL. (18) Quanquam vero Fungi quidam, ait IDEM *laudatus Auctor*, optimas qualitates ostendant, ut se probos esse persuadeant; si prædicta tamen duo desint indicia, ac præterea illi ipsi fœteant, graviorisve, aut mucidi, vel alioquin ingrati odoris sint, præsertim prærupta interna crassiori summitate, relinquendi secerendique ab aliis sunt: haud secus, ac corruptis carnibus piscibusque contingit.

Illi quoque mali habendi sunt; ait ultra *laudatus WAN DER WIEL*, quibus caules intus cavi nigrique; queis divisis, protinus decedit candor summitatesque post dissectionem, aliove modo factam divisionem, cæruleæ, rubræ, nigræ, aut etiam virides, flavæ fiunt; nec non illi, qui flavis maculis, cinereisque no-

Q 5 tan-

(18) Loco citato.

tantur punctis; quibus barbulae sub capitulis nigrescunt. Hujusmodi Fungi Botallo frangulatorii dicuntur: praeterquam enim, quod in ingens discrimen vitae hominem conjiciant, peculiari quoque modo ajunt, Suffocationem inducendo. Idem de omnibus perniciosis Fungis afferit DODONÆUS. (19.) nec non CLUSIUS (20).

Illi, quibus pileoli plani, aut concavi, ita, ut aquam contineant, dum pluit, venenati sunt. WAN DER WIEL. (21). Idem confirmant SCHENKIUS (22) ex propria observatione, ubi dicit: „Noxii praecipuis sunt Fungi, quibus tegula concava superiore parte, ut aquam contineat, dum pluit, in inferiori vero tota pectinatim incisa.

Pileoli convexitas, vel ejus convaca figura nil de Fungorum venenata indole decernere potest; tum quia haec Fungis etiam per experientiam esculentis inest, tum quia unius ejusdemque Fungi pileolus pro diverso vitae ejus tempore, nunc convexam, nunc conam induit figuram.

Demum fungi venenati sunt coloris lactei, lacque edentes quacunque parte dividantur acerrimum, atque etiam suffocare aptum; quam-

(19) L. 15. C. 24.

(20) in appendice.

(21) loco cit.

(22) Lib. 7. de Venen. e. plantis p. 824.

quãvis non devoretur, sed sumitas tantum linguæ intingatur: SCHENKIUS (23.) qui eundem quoque effectum præstare asserit, si momentum crudi Fungi, puta ad magnitudinem ciceris mansum, non tamen devoratum. HÆC VETERES.

Recentiorum vero (qui ancipites jam hærent, cuinam corpora hæc tribuant, Regno Vegetabili an Animali?) nemo est, qui consentiat, Fungis inesse copiosum principium urinosum, acre; quod causticam vim in corporis humani solida exercet, putredine massam sanguineam inficit, citissimamque humorum dissolutionem causat.

Acredo hæc omnibus inest Fungis, & non nisi gradu differt, si mucilagine temperetur; & mitior hæc acredo, adeo sub climate calidior exaltari potest, ut venenatam obtineat indolem. Hinc observatum est, nonnullos Fungos, qui minime noxii sunt in una terræ plaga, in altera venenatos esse ZÜCKERT. (24.) Accedit nonnullos Fungos esculentos venenatis adeo similes esse, ut omni adhibita attentione vix a se invicem distingui queant.

Ex his omnibus elicitor; quod licet distinctivi characteres supra expositi venenatorum Fungorum ab esculentis non omnimode conclu-

(23) loco citato.

(24) Mat. aliment. p. 283.

cludant, imo exceptiones multas patiantur: ob magnam venenatorum cum esculentis similitudinem, ob exaltationem veneni in esculentis, etiam pro ratione climatis; sua tamen non deficiunt utilitate. Nam licet exempli causa, *Agaricus piperatus* LINNÆI, qui succo lacteo, acri turget, esculentus sit; cum omnes fere alii Fungi, qui lacteo succo, acri abundant, venenatæ sint indolis, imo idem ipse sub alio climate venenatus forte invenitur; cum idem, albus, perniciosus BUXBAUMIO auidiat: Regula hæc generalis. *Fungi lacte acriturgescentes suspecti sunt*: non modo locum suum habebit, sed magnam quoque utilitatem. Semper enim consultum est, etiam cum innocentissimis corporibus, de quorum natura nihil adhuc certi experti sumus, tum præcipue, ubi facile, ast non impune errare licet, caute, & suspiciose mercari. Quare sequentiâ criteria, quæ usui forte esse poterunt, adnotanda censui.

1<sup>mo</sup> *Locus*. Paludosus, infectus, umbrosus, non Fungos solum, sed omnia fere Vegetabilia suspecta producit.

2<sup>do</sup> *Odor*. Gravis, teter, virulentus, ingratus, Fungos æque ac vegetabilia noxia prodit.

3<sup>tio</sup> *Sapor*. Acer, causticus, adurens, nauseosus, corpora animali naturæ inimica esse indicat.

4<sup>to</sup> *Color*. Luridus, tristis, virulenti quid inesse denotat. Tan-



Tandem Fungi, modo virides, modo nigricantes, modo purpurascens, cultello difficilli, modo lividi, modo nigri, ac præcipue à terra avulsi cito in liquamen putridum abeuntes, suapte natura exitiales, ab AVICENNA jam pronuntiati sunt.

Nonnulli hoc etiam criterium addere solent; si cocti magis indurescant Fungi, eos naturæ humanæ inimicos esse.

Pauca itaque hæc in genere de differentiis venenatorum Fungorum à minus noxiis, ne tam ampla LINNÆANI *Systematis* pars intacta relinquatur, adnotasse sufficiat.

Cum vero in tanta nunc Historiæ Naturalis luce, Fungi etiam, & descriptionibus, & figuris donati sint; magnum humano Generi obsequium præstitit Cl. JOANNES FRIDERICUS ZÜCKERT, qui esculentas Fungorum species, è pluribus collectas Auctoribus, suo enumeratas ordine, publici juris fecit: (25) quo in casu consulendus est.

Fungorum porro genesin quod adinet, nemo fere post instituta ab *Illustrissimo L. B. de MÜNCKHAUSEN* experimenta, de horum polyposa natura dubitat. Experimenta instituta,  
hic

(25) Mat. Aliment. p. 284.

hic recensere, superfluum esset: cum & ex  
*Amœn. Acad. part. VII. Dissert. de Mundo*  
*invisibili* notissima, & in nuper edita *Differ-*  
*tatione inaugurali Medica D. M. I. FEL-*  
*NER Prodrorum ad Historiam Fungorum*  
sistente, abunde descripta  
sint.



(  )

# INDEX

## CONTENTARUM PLANTARUM SECUNDUM

DENOMINATIONES LINNÆANAS.

Plantæ stellula notatæ AUSTRIÆ indigenæ  
sunt.

A.

	pag.
Abrus precatorius.....	194
* Achillea Ptarmica.....	208
* ———Millefolium.....	ibid.
* Aconitum lycoctonum.....	165
* ———Napellus.....	ibid.
* ———Anthora.....	168
* Actæa spicata.....	157
———racemosa.....	158
* Adonis vernalis.....	174
* Aesculus Hippo-Castanum.....	123
* Aethusa Cynapium.....	93
Agollochium.....	243
* Agrimonia Eupatoria.....	144
* Agrostema Githago.....	141
———Coronaria.....	ibid.
* Alisma Plantago aquatica.....	123
Allium sativum.....	109

Aloë

# I N D E X.

	pag.
Aloë perfoliata.....	116
Amaryllis capensis.....	109
Anacardium occidentale.....	129
* Anagallis arvensis.....	37
Anagyris foetida.....	133
* Androsace maxima.....	36
* Anemone Pulsatilla.....	169
* ——— pratensis.....	ibid.
* ——— fylvestris.....	170
* ——— nemorosa.....	ibid.
* ——— apennina.....	171
* ——— ranunculoides.....	ibid.
Anethum graveolens.....	99
* Angelica Archangelica.....	87
* ——— fylvestris.....	88
* ——— atropurpurea.....	ibid.
Anthericum ossifragum.....	113
* Antirrhinum Linaria.....	187
* ——— majus.....	ibid.
* Apium graveolens.....	100
Apocynum androsæmifolium.....	80
* Aquilegia vulgaris.....	168
Argemone mexicana.....	162
Aristolochia Serpentaria.....	215
——— Piftolochia.....	216
——— rotunda.....	ibid.
——— longa.....	ibid.
* ——— clematis.....	ibid.
* Arnica montana.....	205
* Artemisia absinthium.....	202
* ——— vulgaris.....	203
Arum esculentum.....	217
* ——— maculatum.....	ibid.
* Asarum europæum.....	142

Ascle-

# INDEX.

	pag.
<i>Asclepias gigantea</i> . . . . .	80
— <i>syriaca</i> . . . . .	81
* — <i>Vincetoxicum</i> . . . . .	ibid.
— <i>tuberosa</i> . . . . .	82
* <i>Asparagus officinalis</i> . . . . .	144
<i>Asphodelus luteus</i> . . . . .	112
— <i>ramosus</i> . . . . .	113
* <i>Aster Tripolium</i> . . . . .	204
* <i>Astrantia major</i> . . . . .	83
* <i>Atriplex hortensis</i> . . . . .	243
<i>Atropa Mandragora</i> . . . . .	60
* <i>Belladonna</i> . . . . .	61

## B.

* <i>Berberis vulgaris</i> . . . . .	119
<i>Bocconia frutescens</i> . . . . .	143
* <i>Bromus secalinus</i> . . . . .	30
* <i>Bryonia alba</i> . . . . .	230
* <i>Bupleurum falcatum</i> . . . . .	83
* <i>Butomus umbellatus</i> . . . . .	133
<i>Buxus semper virens</i> . . . . .	220

## C.

<i>Calendula officinalis</i> . . . . .	210
<i>Calla palustris</i> . . . . .	219
* <i>Caltha palustris</i> . . . . .	186
<i>Cambogia Gutta</i> . . . . .	162
* <i>Cannabis sativa</i> . . . . .	233
<i>Capficum annuum</i> . . . . .	68
<i>Carthamus tinctorius</i> . . . . .	199
<i>Cassia Senna</i> . . . . .	134
<i>Cassine Peragua</i> . . . . .	102
<i>Catananche cærulea</i> . . . . .	199
<i>Centaurea Benedicta</i> . . . . .	209

R

Cer

# INDEX.

	pag.
Cerberà Achovai.....	77
* Chelidonium majus.....	159
* Chenopodium hybridum.....	83
* Chærophylum sylvestre.....	96
* ————— bulbosum.....	97
* ————— temulum.....	ibid.
* Chrysopenium alternifolium.....	139
Cicuta virofa.....	91
Cinchona officinalis.....	44
Clematis Viticella.....	172
* ————— Vitalba.....	ibid.
————— Flammula.....	173
————— erecta.....	ibid.
* Colchicum autumnale.....	120
* Colutea arborefcens.....	196
* Conium maculatum.....	84
* Convalaria majalis.....	155
* Convolvulus arvensis.....	38
* ————— fepium.....	ibid.
————— scammonia.....	39
————— Mechoacanna.....	40
————— Turpethum.....	41
————— Jalapa.....	42
————— Soldanella.....	43
* Coriandrum fativum.....	94
* ————— testiculatum.....	95
Coriaria myrtifolia.....	237
* Coronilla Emerus.....	197
Crinum latifolium.....	108
Crithmum maritimum.....	87
Crocus fativus.....	25
Croton tinctorium.....	222
————— Tiglium.....	ibid.
Cucumis Colocynthis.....	228

Cur-

# I N D E X.

	pag.
Curcuma longa.....	19
* Cuscuta europæa.....	34
* Cyclamen europæum.....	36
Cynanchum monspeliacum.....	80
* Cynoglossum officinale.....	36
Cynofurus echinatus.....	28
* Cytisus Laburnum.....	196

## D.

* Daphne Mezereum.....	124
——— Laureola.....	126
* ——— Cneorum.....	ibid.
——— Gnidium.....	127
Datura ferox.....	48
* ——— Stramonium.....	50
——— Tatula.....	51
——— Metel.....	52
Delphinium Staphisagria.....	165
* Dictamnus albus.....	135
* Digitalis purpurea.....	188
* Doronicum pardalianches.....	206
——— plantagineum.....	.
Dracontium polyphyllum.....	218
——— fetidum.....	219
Drosera rotundifolia.....	105

## E.

* Echinops Sphærocephalus.....	210
——— Ritro.....	212
——— Strigosus.....	ibid.
Empetrum nigrum.....	231
Erigeron viscosum.....	204
——— Graveolens.....	ibid.
* Evonymus europæus.....	75

R 2

\* Eu.

# I N D E X.

	pag.
* Eupatorium cannabinum.....	201
Euphorbia antiquorum.....	145
----- officinarum.....	146
----- Chamæfice.....	148
----- Peplis.....	149
* ----- Peplus.....	ibid.
----- Lathyris.....	ibid.
----- Apios.....	150
----- Spinosa.....	ibid.
----- Pithyusa.....	ibid.
* ----- Paralias.....	151
----- segetalis.....	ibid.
* ----- helioscopia.....	ibid.
----- Verrucosa.....	152
* ----- Esula.....	ibid.
* ----- Cyparissias.....	153
----- Myrsinites.....	154
* ----- palustris.....	ibid.
* ----- hyberna.....	ibid.
----- dendroides.....	155
----- amygdaloides.....	ibid.
* ----- sylvatica.....	ibid.
----- Characias.....	ibid.
Excecaria Agallocha.....	232

## F.

Faba febrifuga.....	71
Fagus sylvatica.....	222
* Fumaria bulbosa.....	192
Fritillaria imperialis.....	110
Fungi.....	224

## G.

* Genista tinctoria.....	149
--------------------------	-----

Glo-



# I N D E X.

	Pag.
Globularia Alypum.....	34
Gloriosa superba.....	111
—— Simplex.....	ibid.
* Gratiola officinalis.....	19
Gvilandina Moringa.....	134

## H.

* Hedera Helix.....	76
* Helianthus annuus.....	209
* Heliotropium europæum.....	35
—— supinum.....	ibid.
* Helleborus niger.....	181
* —— viridis.....	184
—— foetidus.....	185
* Herniaria glabra.....	82
Hibiscus Sabdarifa.....	191
Hippomane Mancinella.....	226
* Humulus Lupulus.....	235
Hyacinthus non scriptus.....	115
—— Muscari.....	116
* Hyoscyamus niger.....	52
—— albus.....	55
—— physalodes.....	ibid.
—— Scopolia.....	ibid.
Hypecoum procumbens.....	35
—— pendulum.....	ibid.
Hypericum Androsæmum.....	197
* —— quadrangulum.....	ibid.
* —— perforatum.....	198
—— Coris.....	ibid.

## I.

Jatropha Curcas.....	223
—— multifida.....	224

R 3

Ja.

# INDEX.

	pag.
Jatropha Manihot. . . . .	224
* Impatiens nolitangere. . . . .	214
* Imperatoria Ostruthium. . . . .	97
* Inula Helenium. . . . .	204
* ———— dyfenterica. . . . .	205
* ———— Pulicaria. . . . .	ibid
Iris florentina. . . . .	26
* ———— germanica. . . . .	ibid.
* ———— Pseudo - Acorus. . . . .	27
——— tuberosa. . . . .	ibid.
Juglans regia. . . . .	221

## K.

Kalmia latifolia. . . . .	138
——— angustifolia. . . . .	ibid.

## L.

Lactuca Scariola. . . . .	198
* ———— virofa. . . . .	199
Ledum palustre. . . . .	138
* Leucojum vernum. . . . .	106
* Liliium bulbiferum. . . . .	110
Linnæa borealis. . . . .	188
* Linum ufitatiffimum. . . . .	104
* ———— catarcticum. . . . .	105
Lobelia longiflora. . . . .	211
——— fiphilitica. . . . .	ibid.
* Lolium perenne. . . . .	30
* ———— temulum. . . . .	ibid.
* Lonicera Periclymenum. . . . .	47
* ———— Xylofteum. . . . .	ibid.
——— Diervilla. . . . .	ibid.
Lupinus albus. . . . .	196

Tu.

## INDEX.

	pag.
Lupinus varius . . . . .	196
Lychnis dioica . . . . .	141

### M.

* Matricaria Parthenium . . . . .	207
Melia Azedarach . . . . .	137
Menispermum Cocculus . . . . .	238
* Mercurialis perennis . . . . .	237
* ——— annua . . . . .	ibid.
Mirabilis Jalapa . . . . .	48
Momordica Elaterium . . . . .	238
* Monotropa Hypopithys . . . . .	137
Myrica Gale . . . . .	232

### N.

Narcissus Pseudo-Narcissus . . . . .	106
——— Tazetta . . . . .	107
Nerium oleander . . . . .	77
——— antidysentericum . . . . .	78
Nicotiana Tabacum . . . . .	57
——— rustica . . . . .	60
Nigella fativa . . . . .	167
* Nymphæa alba . . . . .	163

### O.

* Oenanthe fistulosa . . . . .	89
——— crocata . . . . .	ibid.
* Ononis arvensis . . . . .	195

### P.

Paeonia officinalis . . . . .	164
-------------------------------	-----

P 4

Pan-

## I N D E X.

	Pag.
Pancreatium maritimum.....	107
Papaver somniferum.....	159
* ——— Rhæas.....	162
* Paris quadrifolia.....	129
* Parnassia palustris.....	104
Passerina ciliata.....	128
* Pedicularis palustris.....	186
Peganum Harmala.....	144
Periploca græca.....	79
Peucedanum officinale.....	87
* Phælandrium aquaticum.....	90
Physalis somnifera.....	64
* ——— Alkekengi.....	ibid.
Phytolacca decandra.....	142
* Pinguicula vulgaris.....	21
Piper nigrum.....	22
Plumbago europæa.....	37
Plumeria alba.....	79
* Polygala vulgaris.....	192
——— Senega.....	193
* Polygonum Hydropiper.....	128
Pforalea bituminosa.....	197
Prunus Lauro-Cerasus.....	156
* ——— spinosa.....	ibid.

### R.

* Ranunculus Flammula.....	174
* ——— Lingua.....	175
* ——— Ficaria.....	ibid.
* ——— Thora.....	176
* ——— sceleratus.....	ibid.
* ——— aconitifolius.....	179

Ra-

# I N D E X.

	Pag.
Ranunculus alpestris.....	173
* ————— bulbosus.....	ibid.
* ————— acris.....	180
* ————— arvensis.....	ibid.
* ————— aquatilis.....	181
* Raphanus Raphanistrum.....	189
Rauwolfia tomentosa.....	76
* Rhamnus catharticus.....	72
* ————— Frangula.....	73
Rheum Rhaponticum.....	139
———— palmatum.....	131
Ribes nigrum.....	75
Ricinus communis.....	225
Rhus Vernix.....	100
———— radicans.....	101
———— Toxicodendron.....	ibid.
Rumex Patientia.....	119
* ————— aquaticus.....	120
* ————— alpinus.....	ibid.
Ruta graveolens.....	136

## S.

Sabadilla veratrum?.....	242
Salvia Horminum.....	21
* ————— Verticillata.....	ibid.
* ————— sclarea.....	ibid.
* Sambucus Ebulus.....	102
* ————— nigra.....	103
* ————— racemosa.....	104
Sanguinaria canadensis.....	158
Santolina Chamæ - Cyparissus.....	202
* Saponaria officinalis.....	139
* ————— Vaccaria.....	ibid.
* Scandix Cerefolium.....	96

Scilla

# I N D E X.

	pag.
Scilla maritima.....	111
* Scrophularia nodosa.....	188
* Sedum acre.....	140
* Serapias latifolia.....	214
Seseli turbith.....	98
Sideritis syriaca.....	186
* Sium latifolium.....	88
Silene Muscipula.....	140
Solanum Pseudo-Capsicum.....	64
* ——— Dulcamara.....	65
——— tuberosum.....	ibid.
——— Lycopersicum.....	66
* ——— nigrum.....	ibid.
——— Melongena.....	68
Spartium scoparium.....	194
* Spiræa Filipendula.....	157
Stapelia variegata.....	82
Strychnos nux vomica.....	69
——— colubrina.....	70
——— Faba febrifuga?.....	71

## T.

Tagetes patula.....	207
Tamarindus indica.....	24
Tamus communis.....	236
* Tanacetum vulgare.....	202
* Taxus baccata.....	239
* Thalictrum flavum.....	173
* ——— aquilegifolium.....	174
Thapsia Asclepium.....	98

## U.


* Ulmus campestris.....	83
-------------------------	----

# I N D E X.


## V.

	pag.
* Valeriana officinalis.....	23
—  Phu.....	24
* —  celtica.....	ibid.
* Veratrum album.....	240
* Verbascum Thapsus.....	48
* —  nigrum.....	ibid.
* Viburnum Lantana.....	102
* —  Opulus.....	ibid.
* Vinca minor.....	77
* Viola odorata.....	213
—  Ipecacuanha.....	ibid.










T H E S E S.



I.

Medicamenta à venenis gradu tantum differunt. hinc

2.

Debitis cum cautelis, venena ipsa egregia evadunt medicamenta.

3.

Quare plantæ venenatæ absolute venenatæ dici nequeunt, sed tantum respective.

4.

Sola analysiſ Chemica, nil certi de viribus plantarum decernere poteſt.

5. Qua-



5.

Qualitates plantarum manifestantur in primis odore, & sapore.

6.

Coloris, loci natalis, temporis plantarum colligendi, tempestatum anni assidua consideratio, multum ad hanc rem quoque conferunt.

7.

Cum numerum hybridarum plantarum augeri continuo per experimenta comperitum sit, probabile forte etiam erit, hybridas plantas non habitum solum externum, sed quod virtutes etiam adinet, ex utraque parte participare. hinc

8.

Plantas venenatas minus venenatas reddi, & e contra.

9.

Effluvia, exhalationes venenatarum etiam plantarum, naturæ intentum esse videntur, ut diversis in atmosphæra suspensis mixtæ, salutarem animalibus auram captandam efficiant. hinc

10. Non



10.

Non postrema hæc salubritatis æris rusticani causa esse poterit.

11.

Dantur plantæ per experimenta vere venenatæ, quæ certis cum cautelis non modo secure in usum alimentarem trahi possunt, sed etiam vere nutriunt.

12.

Coctio sola, ut condimenta taceam, insigniter nonnullarum plantarum vim noxiam infringit.

13.

Plantas in eodem nutritas solo, tam diversos in suis vasis vehere succos, ut venenata una, altera innoxia sit; neque in diversitatem diametri, neque in diversam conformationem ultimorum vasorum capillarium osculorum, sed in differentiam attractionis, quæ vascula hæc inter, & liquores circulantes interest, refundi posse videtur.

14.

Cum vasa capillaria ad certam tantum altitudinem liquida attollant, ad  
pro-



probe explicandam majorum etiam arborum nutritionem, ad valvularum licet necdum ad oculum demonstratarum mechanismum, commode refugitur.

